

PLINIVS POLONICꝰ
è Soc. IESV Polona
ORATORES
A
L. L.

# PLINIVS POLONICVS.

ILLVSTRES
*E SOC. IESV POLONA*
ORATORES
*In Honorem Gratiamq;*
PERILLVSTRIS
*AC*
MAGNIFICI DOMINI
D. STEPHANI
à LESZNO
LESZCZYNSKI
ILLVSTRISSIMI
*INCISORIS REGNI*
MAGNÆ SPEI FILII

*E Typograph: Calißiensi SOC: IESV*
*Publicà luce donatj.*
Eidemq; dicatj.

*ctorum contentionem, tam excitato elegantioris facundiæ vigent acumine; vt meritò dubites copiose laudanda patrare? an laudare gloriose patrata, magis Polonum sit? Par nimirum vtrobiq; Sarmatarum virtus, palmares metit adoreas; siue vbi arma magnosq; evibrat ausus: sive vbi stylum, aut ingenij eloquijq; aciem exercet. Quanquam autem eximia felicitas ista, ingeniorum est non annorum: dictu nihilominus haud facile pronum fuerit, sub fortunatissimis* JNVICTISSIMI REGVM VLADISLAI IV. *auspicijs, quantum vel Marte vel Arte Polonia triumphârit? Eorum partem aliquam triumphorum, repetito expressam prælo ad* JLLVSTRE *in* NOBILI TVO BISONTE CAPITOLIVM *sub Tuo sistimus Nomine. Trophæa ista erectæ non infra suos Heroas facundiæ, ex communi omnium quæ sparsim agunt aguntur q; fato, prope iam dilabentia, intra Gentilem* TVVM, TE *annuente colligimus* CIRCVLVM: *non alibi meli-*

bi melius vel publicæ amplitudini, quam n ORBE, vel perennitati quam in SYMBOLO ÆTERNITATIS consulturi. Addictus eloquio rotundi ORIS ANNVLVS, à quo universa totîes pependit, pendetq; etiam hodie SARMATIA, alienæ quoq; facilem spondet Eloquentiæ receptum. Tibi verò quem suâmet optime incitatum ndole, hinc ferax semper assurgenis ad publicam laudem ingenij LESZCZYNIANVM CAPVT, n Paternam hortatur virtutem: inde ecentibus coronata laureis ad auitos usus CZARNECIANA, remis elisq; impellit ARGO; etiam ex hoc antorum ad Te quâ Heroum quâ Oratorum accursu, futuræ amplitudinis, el præsagium, vel calcar haud leue succurret. Crescet laudata per tam disertas anegyres virtus: Atq; ille TV ILLVSTRISSIMIS PARENTIBVS MAIORIBVSQVE TVIS, qui Neruæ Traianus accedes vrpore quem tam auide suâ iam sponte Plinius pre-

*rius prehensat. Quidni autem prênsaret ment m illam in annorum teneritudine teneram? illam indolem magnorum doctrinæ passuum, vltra vulgares ætatis istius metas, & præcupidam & capacem. Vidit non ita pridem hoc ipsum, è cuius adytis præsens* T E *Eloquentiæ congiarium studiosissimè assectatur, florentissimum Polonæ Palladis Atheneum, immò verò suspexit inter prima literariæ rei auspicia conatus Tuos progressusq; facile Principes. Felicitatem illam ingenij, illam animi ad præclara omnia efferuescentis alacritatem propensam, illam in pietatis pariter ac literarum studio contentionem, illum discendi disceptandiq; ardorem, nullo puerilis inconstantiæ confinio temeratam, augusta omnia,* KARNKOVIANVM *in* TE *Musarum* AVGVSTALE *probauit nuper amauitq;. Reliquum est vt* TE *nobis vt* JLLVSTRISSIMIS PARENTIBVS TVIS *vt Patriæ quã diutissime sospitem optemus, quatenus ea*

*nus ea*

*bus ea tam præclaræ specimina indolis, quæ præmature exhibes, exhibeas diuturna.*

# INDEX
# PANEGYRICORVM
## ET ORATORVM
In hoc Tomo Contentorum.

# ARCVS PACIS NOVO SINE SANGUINE TRIUMPHATORI

# VLADISLAO IV.

*POTENTISSIMO*

SARMATIÆ MONARCHÆ

Ab expeditione bellica

Jn Amurathem Turcarum Imp: ſuſcepta

Felicíter & Auſpicatò

REDVCI;

LAVREATISQUE REGNI ORDINIBUS

Triumphalem hanc Portam

vnà ſubeuntibus,

*Jnter publicos Europæ acclamantis plauſus*

*E VOTO SOCIETATIS IESV*

Religioſe conſecratus.

Orietur in diebus eius iuſtitia,
& abundantia Pacis, donec
auferatur LVNA. *Pſal:* 71.

# ARCVS PACIS

*QVisquis terrarum excidio, vel sanguine Pacem*
*Humano docuit nasci, sociandaque primus*
*Regna dirempturis ferro commisit & igni,*
*Audiat (instratis fracti seu molibus) Orbis*
*Infletus premitur, violato subter amatas*
*Seu lavit Oceano strages, fusumque cruorem)*
*(Æuo*
*Non bustis populorum immanibus, audiat,*
*LADISLAE Tuo, non crescere sanguine lauros.*
*Innocui veniunt Mundo ac sine cæde Triumphi.*

## DEO EXERCITVVM, DEO PACIS.

QVOD INVNDATIONE BARBARIÆ POLONORVM TERRIS DEPVLSA, TRIVMPHALEM PACIS ARCVM IN CŒLO SARMATICO LI-

BERIS INVICTÆ GENTIS MANIBVS CONSTITVERIT, ORBEMQ; TERRARVM AD OTIVM ET TRANQVILLITATEM REVOCARIT; INTEGRA AC FERRO ILLÆSA HOSTIA CADAT AMVRATHES.

AVGVSTÆ SALVTIS MATRI, CVSTODI ET ARCÆ FÆDERVM VNI AC PERPETVÆ POLONIARVM HÆREDI,

OB SIGNA LVNASQ; OTHOMANNICAS FATALI AVSPICIO REPRESSAS AC DEPRESSAS; LVNA BARBARA FATALI SORTE SVB PEDIBVS ESTO.

VOBIS, DIVI DIVÆQ; PATRIÆ

OB SERVATOS LECHIÆ FINES, ARMAQUE THRACIÆ SINE ARMIS EXCVSSA; INVIOLATAS ARAS GRATA PATRIA, VICTIMAS BARBARIA CVMVLABIT.

Vnus

VNus demum extitisti, VLADISLAE REX POTENTISSIME, cui salus, tutela, securitas humani generis meritò à Superis commissa creditaq; esse videatur. Cessit impar tanto æmulo mundi terror Amurathes, ne caderet; si non hoc ipso prostratũ Orbis videt, quod supplex Tibi veniamq; ac pacem orans prociderit. Nondum bello humana virtus effecit, quod virtutis tuæ ipsa existimatio sine bello. Profectura scilicet non erat felicitas, si armis vicisses, quibus nuper quidquid habet Septentrio durissimũ fregisti: ad Tuæ prodigia Fortitudinis accessio hæc fieri solùm potuit, vt clausus vaginâ mucro hostem sterneret, seruaret Orbem. Quod nomine pollicebaris, manu iam ac virtute præstitisti verè Princeps, sub quo primùm Sarmatia vires agnouit suas nulli potentiæ non pares esse. Timeri adhuc poterat, nisi timeri à Te voluisset barbarus; adeoq; vincendi fiduciam amisit,

sit, vt Poloniā inueniret. Bellum, quod & nauibus aduexerat, vt ipsi fluctus armatis quodammodo procellis aucti ferale diluvium in nos deuoluerent; & per vastissima terrarum spatia æquè feris hominum ac belluarum lacertis in Valachiam apportarât, vt telluri quoq; ipsi & non solis nobis graue esse crederetur, hoc inquam bellum, quasi fabulam dare mundo vellet, postea quā in illo Martis theatro constitit, cùm promittere Actus ingentes cæpisset, repentè in latebras se recepit: ipseq; simul Amurathes personam deponere coactus est, proq; audacia pudorem ac metum fateri. Adeò nihil formidabile habet natura, cui non vicissim aliquid formidandum prouiderit! Cohorruimus, fateor, ad primum illum armorum strepitum, bene conscij, quòd is gladium extulisset, qui vnam nobis omnibus vellet esse ceruicem, iterumq; in nouo illo furore antiqua Caligulæ vota mundus expauit. sed eæ inprimis

Regni

Regni partes, in quas è vicino agebat metus, tanquam dissita à Corde suo membra, linqui paulatim animis cæperunt: iamq; in proclivi erant, nisi ad Tui adventûs famam se erexissent. Terram illam vix tam citò calcasti, quam illa vires sibi cum sacro vestigio sensit impressas. Vocem olim audieramus Magni Pompeij; quòd vbi tellurem Italiæ pede pulsasset, innumeri exercitus essent in Cæsarem erupturi: euentus resq: ipsa Tibi seruabatur, ne dubitaremus quoscunq; Magnos aut Maximos edixit Antiquitas, minores fuisse. Nam Russiæ terras nusquam attigisti, vbi non admirabili numero victrices copias circumstiterint. Sanè redeunt animi populorum, quocunq; Sceptrum velut Mercurij virgam attulisti; laurus est, quidquid calcas. Verùm hoc in Tuis factis admirationẽ habet præcipuam; quod ad bella natus Pacem vbiq; circumferas: non humana ista est moderatio, Summa felicitate

 non vti

non vti quantum poſſis, vincendiq́; ac regnandi terminos, Pacis arbitrio definire. Nimiùm ſæpè didicimus, neq́; à Sole radios, neq́; ab inſigni Potentia vires & arma contineri poſſe. Affine quiddam habent Lux & Maieſtas; vt illa, tametſi quieta ingenio & placida, ignem nihilominùs parit: ſic iſta quocunq́; Serenitatis nomine cenſeretur, id tamen ſemper fuit, vnde Orbis incendia exarſère. Nouo itaq́; exemplo bellicæ laudi ac ſummæ fortunæ quaſi frenos inijcis, dum Orbi pacando ſtudes, nec arma euagari ſinis vltra communis otij metas. Pacem Septentrione toto non imperium propagare nuper voluiſti. iam & Orientis Pacificator audire, quam Debellator magnis. diſplicuit tibi mundus ita ſanguine vndequaque pollutus, vt nomen pænè amiſerit: noua ſine armis ratione ſubigere omnia, id planè Regium putauiſti. nam terras & maria cruentare ſerui etiam quandoq́; potuerunt: cruenta

cruenta verò hæc diluuia exterminare, sibiq; mundum reddere nescio an duobus (nisi Tu alter sis) Imperatoribus summis contigerit. Diu vel in augusto sanguine requisivimus Augustum! Ergo ipsa, inuictæ Fortitudinis opinione profligare hostem contentus, terrore belli maiora, quam bello quisquam instructissimo, confecisti. Debebatur hæc vis emeritæ Virtuti, vt etiam parcendo vinceret, hostemq; reprimeret non premendo. Atq; vt magna corpora, quò ipsa non perueniunt, vmbram tamen porrigunt suam, sic virtutis Tuæ magnitudo, castra barbarorum latè complebat; horror absentibus, præsentibus amor. Hinc illi semper ad hanc diem inuadere aliena soliti, ante primos Tui Regni aditus constitêre, quasi pro suo metuerent, sceptraq; iam eminus adorarent Tua. an & religione tenebantur, ne suorum hîc sanguinem calcarent, quos Tua manus quondam Osmano inferias dedit? certè bono

iure abstinuerunt à terra, ex qua non sibi ampliùs deberi sciebant, nisi quantum sepulchro satis esset. Ad suorum præstabat, quàm ad suos tumulos tam longum iter suscepisse, leuiusq; visum est armis quæsitam ignominiam, quàm cladem haud sine ignonimia referre. Ita cùm Poloniam velut Oceanum quẽdã adspicerent, in quo fatale ipsis naufragium tua Virtus prænuntiauerat, trepidi atq; ab animis relicti in ipso quasi littore hæserunt. Nec vela promouit Amurathes, non dubius hoc æquor à Luna infestari solùm vt extollatur: vincula quidem & compedes parauerat, sed vt Xerxes Hellesponto: adesse demùm vetera nomina intelligebat, sed abesse veterem nominibus fortunam. quamobrem exclusa imitandi spe, frustra tam atrox in oculis exemplum erat; non quòd hic noster non illo Amurathe ferocior, sed quòd Tu illo felicior Vladislao. Quodsi pro barbaro illo mundus erubuit, cùm

terram

terram & flumina ſanguine infeciſſet, iam iſte terris vndiſq; abs Te vindicatis ſuum ferre cogitur pudorem. Nec ille tam ſuis armis, quàm noſtrâ Europam ignauiâ & criminibus oppugnauit. hic verò omnem in ſuomet faſtu ac perfidia vim poſuit, ne ſcilicet alijs artibus Tyrannidem ſtabiliret, quàm quibus erecta eſt; attamen eum ex aduerſo habuit qui ( vt Beliſarius aliquando in Perſas ducens ) violati fœderis leges haſtis præfixurus mox erat, fidemq: ac iuratæ pacis reuerentiam impijs pectoribus ita ſaltem incuſſurus. Neque enim diffiteri poteſt, niſi qui Orbis iudicio confutari velit, armis perinde ac inermi conſilio repreſſus eſt, opprimi hoſtem potuiſſe: prodigioſa vbiq; gentium eſt, quamuis ipsâ minor, Virtutis Tuæ exiſtimatio, diuq; fortunam tuam Militarem & Bellicam appellauimus, donec deprehenderetur, tamtundem ſine bello militiaq; poſſe. Quia enim præ omnibus Pacem regno Tuo

parere decreueras, Bellonæ primùm nubere malebas; ſponſali ſerto lauream, Io triumphale, epithalamio prætuliſti. non aliæ tædæ prælucere ad torum debebant Lechico Marti, quàm inflammata ſuiſq; ignibus collucens Thracia. Verùm poſteaquàm in prælijs & cruento ſtadio inuictam Fortitudinem Orbi probaſſes, ne vno modo ſummus videreris, nouos abſq; ſanguine triumphos docere iterum voluiſti. Fulminum hic mos eſt, ferrum & quidquid repugnat; frangere ac redigere in fauillam, mollioribus & quæ ſpõte cedunt parcere;. vt facilè aduertamus cognationem inter Dei tela & Regia. Atq; vt illa magis ſunt mira, vbi ſeruant, quàm vbi ſæuiunt; ita hæc prodigij plus habent, dum hoſte intacto maiora, quàm cæſo deletoq; glorioſè patrant. Non eſt promptum ea dicere omnia, quæ tam prompto Superûm ac Tuo munere obtinuimus. Scythas finitimos, ſolum vertere cogis; ne videlicet

delicet ab ijs annuus terror, barbarum sanè vectigal, Europæ ampliùs pendatur. sæpiùs illa, quoties suo imminentes iugulo sensit, Poloniæ obiectu defensa est: tamen fieri haud poterat, quin tela, quæ ipsa vitauerat, in Clypeo saltem hærerent. at obriguêre iam metu, ne arma expediant; in Persei scutum Sarmatiam ijs versam dicas. Delubrũ quoddam Herculis fuisse memorant, quod clauæ ipsius ad ianuam defixæ beneficio, nullius vnquam canis ingressu funestaretur. dubitarem apud nos Herculeum esse sacrarium, n si tam longè rabies ista nostris iam sese à finibus abstineret: palam est, quòd monstrorũ domitricem sacriq; custodem limitis clauam odoretur. Jllud verò quanto barbarorum dedecore, quantâ nostrorum gloriâ effectum est, vt autor & fax belli huius extingueretur? Abassius, inquam, ille, qui Te alibi fadifragi populi victorem alibi fædifrago à populo victum reddere tentârat, è viuis, vt é Polonia,

lonia, non excessit, sed exclusus est. ô diem illum Turcis ominosum, Tibi Tuæq; militiæ faustum ac salutarem, quo Amurathe ipso iniuriam Tuam vlcisci coacto sacrilegus prædo ille præstricto collo interijt, fatis hoc agentibus, vt cœlo barbaro diu spirare non posset, qui auram Sarmaticam nefario anhelitu semel violârat: neq; Clauam ille tuam exercitu amisso vnus propè vitasset, si aut mitiori iudice, aut leuiori supplicio dignus fuisset. Quodsi pro capite, ne truncaretur, anxié deprecatum ferunt, noluit, credo, minor inferos adire, ne Furijs non gigas appareret, nulla re magis hoc nomen meritus, quám quòd cum Ioue bellasset: quanquam & illud sepulti gigantis haud leue indicium, quòd velut alter Enceladus sub Ætna humatus flammâ adhuc mouere, Lechiæq; incendium minari ausus fuerit. sed vmbram metuere non potes, qui viuum spirantemq; metu armorum tuorum exanimare potuisti.

potuisti. Iam sublato capite, neruisq; succisis membra facilè cætera languerunt ipsa belli sedes Valachia nutare haud leuiter visa, vt pacifico sese victori submitteret. nempe diu alternis viribus discerpta cum ægrè consisteret, subiecerat olim sese currenti ferociæ, sed tanquam offendiculum, vt euerteret: hodie pronis ac prostratis supplicandi necessitate hostibus; quasi legitimum Principem ea specie salutaret, erigit se iterũ aduentu Tuo, vt habeas, cui nouo cum magistratu vetus iugũ imponas. quidquid Tyram inter & pontum Euxinum terrarum est, ne mora quidem, adhuc dexterâ cepisti. Plura eiusmodi commemorarem, sed orationem admirationemq; totam absorbet ipse Amurathes Sultanus positâ cum armis arrogantiâ, Tuæ supplex Maiestati. Habes infra Te, quidquid vniuersos Reges populosq; supra esse videbatur. Orbis terrorem velut in triumpho ducis, nisi minùs gloriosum

sit ani-

ſit animos perdomitos quàm corpora conſtricta in pompam trahere. Arcū vis triumphalem? en hæc ipſa victoriæ huius trophæa, ſignum planè fæderis illuſtre, ſi non, vt olim, in nubibus, tamen in Europæ oculis poſitum: cuius intuitu meminiſſe hoſtem oportebit, ſecum humano genere in gratiam rediјſſe. Nondum Iridem à Luna effectam viderat natura, Tuæ Maieſtati hoc prodigium ſeruaſſe tempora videntur, vt aſtrum hoc in occaſu eſſet, Tibiq; victori expanderet Arcum Pacis. quin & præcurrens de more tempeſtas, cùm ſanguinem & prælia concepiſſet, genuit ſerenitatem. Deprehendes in ea colorem aureum, illo maximè indicio, quòd expalleſcat: nec viridis, deſiderabitur, quia Machumeti carus, nosq; omnia illius gentis inſignia, in tuis fore ſpolijs ominamur. Quodſi ruber aut alius quiſquam falſus creditur, non falſo opere dabit tuus gladius certiorem. Age interim hunc Arcum ob depreſ-

ſam ere-

ſam erectum Barbariam, ſubi Triumphator; nos ad ingreſſum tuum oratione pauliſper conſiſtere iuſſa rite ominantis Patriæ carmen accinemus:

*Mittamus auris bella truci ſuper*
*Gerenda ponto: cur prope ſanguine*
*Diluta vaneſcat ruentes*
*Indigenas præitura tellus?*
*Non Marte, quanquam colla rebellium*
*Frenauit Vrſarum, & (vigil ignibus*
*Te teſtor æternis Olimpe)*
*Succiduo docuit morantem*
*Nutare plauſtro, non ſine ſiderum*
*Riſu, Booten: cum genibus minor*
*Stratis verecundum daretur*
*Sarmatico Spolium triumpho;*
*Quanquam Threiſsis cladibus aggerem*
*Orbi Polono ſtruxit, & obſitas*
*Captum inter Oſmani ruinas*
*Panè Tyram veteres in æquor*
*Neſcire calles imperat, ac nouos*
*Armis natantum exſcindere Biſtonum*
*Non Marte certandum, ſubacto*
*Si libeat dare iura mundo.*

*Præclara*

Præclara ſiccis gaudet adoreis
Virtus; triumphi ſola rerum tenet
Fortuna Martem, quæ cruentato-
-Haud ſimul immoriatur Orbi.
An, geſtit arces qui ſuper erutas
Pronis volantum illidere turribus
Calces quadrigarum ſuperbos,
Victor erit ſupereſſe regnis
Audax ſepultis? latiùs imperat
Seruator Orbis mucro, ſuperſtites
Non linquere æternum futuro
Jmmemor exuuias trophæo.
His perge bellax artibus inſtrui
Æuum: recuſi pro gladijs ſolum
Frangant ligones. ſat triumphi
Pectus inerme ſui tuentur,
Partaq; virtus conſcia gloriæ.
Non turbinis, quem ſtipat inanium
Vulgus procellarum, tonitru
Ceſſerit haud ſuperata moles.
Audite: verſas metra loquacibus
Motura criſtas è galeis ſonant;
Pippire iam mihi videtur
Nidus, IO, tener. Arma Paci
Calcanda

*Calcanda littus subijce Balticum:*
*Vindex togati Numinis: ilicet*
*Magni VLADISLAI triumphale-*
*-Augurium Gladius probabit.*

NOn intra hos fines stetit Gloriæ tuæ magnitudo, REX POTNTISSIME: nisi enim in plurium ornamenta sese diffunderet, à Te angusta iudicaretur. Nempe vt Maximorum est, fortunam tenuisse præ alijs: sic Optimorum, deriuare in alios. Adsciuisti in huius societatem victoriæ Sereniss: Principes CASIMIRUM, & ALEXANDRUM, siue vt Patria sacro Herourm ternione redderetur inuiolabilis, siue vt hostis victorem sibi liberaliori optione deligeret. fuitq; hoc admirabile fatorum opus, vt tribus cederet victoribus, quoniam ter cadere non posset. Enimuerò Poloniæ amplitudo nunquã maior esse poterat, quàm cum hos in armis haberet, qui & Magnos nominibus referebant, & eorum magnitudini

dini, ſæpe mundus erubuit, cum par non eſſet, regna etiam diſtraxiſſet, vt laxaret anguſtias, niſi vel ſinguli (nouâ inter Principes ambitione) vni quærerent vniuerſa, vel vnus optaret ſingulis. miſera profectò ætas, ſi non beatius eſt Imperatoribus abundare, quàm Imperijs. Sarmatiæ omninò glorioſũ fuit pro Regibus bellatores, aut pro bellatoribus Reges habere; glorioſum Magnis Heroibus in puluere & ſole, prius, quàm in ſolio Patriam, tueri. Nimirum in Regnatrice hac Domo natos, iſto maximè indicio agnoſcit, Orbis, quòd ſceptrum non ante haſtã in manus admittere ſoleant, neq; coronæ niſi galeâ preſſum caput ſubmittere, quaſi ferro exercitatis duratiſq; leuius incumbat pondus terrarum. Nec illuſtriore argumento agnouiſti & Tu, REX POTENTISSIME, germanam Tuæ fortitudinem, atq; fortunam, cûm Sereniſſimorum Fratrum alter, æſtuante inter Septentrionis glacies animo

nimo, signatas tuis laboribus metas obiret, æmuloque gloriæ passu grandibus instaret vestigijs. nihil deterrere potuit semper infractum ac sui similem, vt facilè Constantiâ natum intelligeremus: inde verso ad hoc alterum Tuæ gloriæ theatrum cursu, cùm in medio ante Lunas ei Turcicas occurrisset morbus ille, quo prostrati omnes fuimus, priuati doloris molestiam salute publica visus est curasse, morbo pariter cum hoste pulso. Alter verò è longinquis regionibus quas lustrando Serenissimus hospes illustrabat, Superi boni, quanto ardore ad primum tubæ Othomanicæ sonum accurrit, Fatis consonum arbitratus vt primum sanguinem eo bello Patriæ libaret, quod primum ac perpetuum in ore habuit; cæterùm ad victoriam satis erat, voluisse: quod agere arma destinauerant, egit ipsa maiestas armorum. quanquam ne magnis conatibus deesset euentus, in reditu demum, hausto è bellicis

ærumnis

ærumnis morbo, victorem spiritum in Patriæ obsequio profudit, puto, vt pestis illa atq; exitium Reip. penitùs difflaretur. Ista Principum sors est, vt eorum periculis, morbis, & morte, salus ac vita ciuium constet. Vt olim Romanis Deorum par (Castorem illi credidêre ac Pollucem) equitum sudore madentium specie in Vrbe visum celebrem illam de hostibus victoriam, prænunciauit; ita nobis à debilitata, fractaq; duorum Principum valetudine, inusitatæ huius victoriæ omen, fuit. Sed quoniam,

*Alternâ Castor Pollucem morte redemit,*

hoc vicissim relato inter sidera dabit, superstes Heros, vt extremis eum lachrimis illò prosequi sinat ipse, cùm, geminam magnitudinem, tum magnas & magnorum aliquando panegyres impleturus.

*Vos ego vos tacito, crudelia sidera, planctu*
*Te prodam lachrymis raptor Olimpe, meis:*
*Quà Ganymedaeos monstrat, licet inuia, passus*
*Semita, Pegaseo nitar in astra pede.*

*Pro Zephyris densata vehent suspiria vatem.*
*Nubila & obstantes frangere docta polos:*
*Non ibi Sarmaticos dubitem spectare triumphos,*
*Quaéq; facit noster lata theatra dolor.*

*Obuia calcato mihi pompa sonabit in auro,*
*Et Lechicum multâ voce iterabit Io.*
*Astrorum sic scena sumus, nostrisq; cupita*
*Ille vel è damnis gaudia Circus habet?*

Regales

*Regales trabeas, baccata monilia stellis,*
*Affusum toto Sole videbo thronum,*
*Congesto Superûm diademata Regia censu,*
*Sceptraq; siderea dote redempta Domûs,*
*Accensum meliore Diem mirabor obryzo,*
*Pergama Lætitiæ latè habitata nouæ,*
*Deniq; stelligero Heroëm comitante Senatu*
*Deprêndam augustos ferre per astra gradus:*
*Heu, meritæ quidquid poterat promittere fronti*
*Lenta nimis tellus, promere, Olympe, potes:*
*Vnus ALEXANDRO tu sufficis; illaq; Regno*
*Non poterat Virtus, credo, minore capi.*
*Ha*

*Hac, mihi, dum memoro Lechicæ miracula pompæ,*
*Funebris in laurum ſponte cupreſſus abit.*

MInimè fortaſſe decuit triumphales aures funebribus lamentis implere, ſed artem, qui & Sarmatiam, confudit dolor. At ne iam è planctu noſtro plauſum capiat hoſtis, ortumq; Lunæ ſuæ poſt tantæ lucis occaſum ſperet; age, Victor Magnanime, abſterſo tantiſper luctu oculos ſereniores in ſuccedentem Bellatorum pompam reflecte. Ij Te adhuc circumſtant, quorum vim & arma in vulneribus ſuis ille, Tu in victorijs agnoſcere Tuis potes. Non enim Regum ſanguinem huic ego deinceps opponam, etſi Regum Tyranno; ſunt pro Theodoſijs Stilicones. Equidem non è fabulis didicimus, Atlante ſubmoto, cœlum in Herculem tutò inclinari potuiſſe, cùm ipſe Moſchouiam ingreſſus totam Poloniæ tu-

 tandæ

tandæ curam, atque adeò totam molem belli Turcici in Illustrissimum STANISLAVM KONIECPOLSKI, Generalem Exercituum Ducem, coniecisti. Ostendêre tempora, nec alium Regem tanto militiæ Imperatori, nec alium Regi tanto, militiæ Imperatorem debitum fuisse. Dignum alterius Maiestate, alterius Fortitudine conflictum sensit campus ille planè Martius, nec tam vllius germinis, quam cladium atque palmarum ferax, cùm Abassio illi, quem antè memorauimus, partim legionum barbararum, partim absentiæ Tuæ fiduciâ, Regnum inuadenti obuiam stetit tam consilijs celer, quàm lentus videbatur. Miraculum, non Imperatoriæ artis exemplum fuit, quòd nullam hostis machinam moliri potuerit, quam non prouidisset; nullam prouidere, quamcunq; hic noster fuerat molitus. Audiuisses non absq; animi voluptate noua musices inuenta, cum barbaro ad pugnam eliciendo;

quasi

quasi victoriæ huic Tuæ proluderet; tubis choros militaliter cani iussit; puto, vt saltatorium honestarat orbem, in quo ( vt iste fert ludus ) verbera, quocunq; se dedisset, accipiebat miser Salius. Profectò Martia hæc est, quam ipse reperit, magia. Lunam classico euocare! Habes, REX POTENTISSIME, qui Turcas aliquando Tuis auspicijs saltare ad tibiæ nostræ modos doceat. Abassio interim funebris hæc fuit cantilena. nam exercitûs reliquijs tanquam attritâ inter scopulos mutilatáq; rate, Constantinopolim ægré subductis, quem è diurna nocturnaq; fuga nondum penè collegerat, spiritum effundere coactus est halitu præcluso, fortè, ne ampliùs hanc saltandi illecebram anhelaret. Ita cùm ludus & fabula è nationum terrore fieret, appendix tragica non potuit deesse! Nolo Arcum hunc triumphalem accersitis decorare insignibus ac emblematis: appendantur *Sacris* Magni Pacificatoris alta-

ris Altaribus, Arma Koniecpoliana; Soleam dico gentilitiam, calcandis barbarorum ceruicibus fatalem. Quod si locum in cœlo, vbi Luna eclipsim pati solet, vt exprimant Matheseos periti, Soleæ quandam similitudinem depingunt, veriùs in huius victoriæ symbolis ponetur illa Solea, in quam impingere nunquam Luna potuit Othomannica, quin deliquium pateretur. Haud longè aderit Fluuius LVBOMIRSCIANVS, vbi fluctuanti Patriæ fida semper tranquillaq; statio, barbaris myoparonibus nunquam euitabile naufragium. Quoties ille rubuit cruore ingentibus Tartarorum copijs deletis? quoties, ingenio ad candorem Pacis reuocato, crystallo puriùs fluxit? Meminêre campi illi Podoliani aceruis hostium oppressorũ, pro manipulis impeditarum aut populatarum messium instrati, quis in bello gerendo? Meminit arx Chocimia, quis in pace constituenda fuerit. Magnus bello & pace LVBOMIERSCIVS? hæc ipsa

in Amu-

in Amurathem expeditio, quantas illius copias, quam armatas pariter & ornatas habuit, vnà scilicet arte hostis ad certamen elici debuisset, vt prædam sibi pro pugna paratam esse persuasus, vulnera pro spoliis referret. Est in Tuo Regno, POTENTISSIME REX, non Pactolus aut Ganges aurifer, sed nobile illud Flumen, è quo in Rempubl. beneficia tam diuite alueo refunduntur, vt Poloniæ gazam vehere videatur. Age, pro Tanai vel Tyra, hunc Regni tui nunquam violatum limitem ad triumphalem Pacis Arcũ statuamus. Merentur non imparem locum Hastæ ZAMOYSCIANÆ, vt à triumpho ne absint, quas tam propè in victoria esse voluisti. Pallas ipsa non alias aut gerere sagata vellet, aut togata Regali defigere Monimento: non alias nouo Asiæ victori Lysippus ille pro fulmine in dextra collocaret. Ac si Lunam barbara superstitio eandem voluit esse, quæ in terris Diana, Pro-

 serpina

ſerpina dicitur apud inferos, ne qua, opinor, Vniuerſi pars tyrannide vacaret; nihil commodius euenire potuit, quàm vt hiſce tribus Haſtis aduerſus triforme monſtrum vtereris dum pro vniuerſo pugnares. Equidem verendũ non erat, ne hiantia illa cornua in orbẽ plenum coirent, modò ferratus hic limes obſtitiſſet. Fabula eſt Herculem telis ſuis cum Neſſi cruore vim illam mortiferam illeuiſſe: crediderim potiùs hiſce Armis robur quoddam præpotens affuſum eo tempore, quo illa fortiſſimi SHARII melior ſanguis imbuit; reor, vt Herculi Polono tandem vſui forent. Iuêre per varias manus, Scæuolarum dicerem, quia notæ fortitudinis, ſed cùm inſuper, ob cognatam huic ſanguini ſapientiam, errare in hoſte neſcierint, haud occurrit par nomen: Fabijs certè, Metellis, Scipionibus, ſolâ temporum iniuriâ fuêre poſteriores, etenim rebus geſtis longiſſimè præcurrêre. Seruabantur demùm

mùm huic fortunæ, vt inter prima victoriæ huius Tuæ insignia collocarentur. Ecquis vniuersos numeret, quos progenuit militaris hæc mundi ætas, vt Regum fortissimo, bellatores idoneos prouideret? quis Arma, quibus in hostem vsus es, percenseat? Occurrit tamen præ alijs bellica nobilitate ornatissimus LVCAS ZOLKIEVIVS, Kalusien: Præfectus, quem seu armorum similitudo, seu militarium studiorum imitatio gloriæ KONIECPOLIANÆ coniunxerit, præsignem certè indolem haud immeritò à Marte adamatam crediderim, nempe vires animosq; sortitam vltra vota mortalium. inest gloriosum quiddam illi sanguini, quem semel pro Patria Virtus effudit. Neq; Sarmatia potest carum illud fortissimi Patrui caput luctuoso quondam prælio amissum, hodie in Nepote absq; gaudio reperire. Dignum certè iudicauit, qui Barbaricis palmis nuper ornatus Moschouiã in deuota Tuæ Maiestati

Arma transferret, ne victoriæ deessent, si adesse bello non poterant. Iam & Lunæ Othomannicæ metuendum geminis è crucibus telum, opposuerat Solea gentilitiá pro arcu impigrè vsurus, nisi scopus tanta demissione ictum declinasset. Hîc igitur arma illa sine cæde iam edocta vincere inter recentes Portæ triumphalis laureas reponantur. At quonam ordine collocari mandas auita clarissimorum IANVSSII ac IEREMIÆ VISNIOVECIORVM Ducum, Insignia Regio apprimè digna sacrario? agnosce tergeminam Crucem, cui Luna iam olim substrata est: quia ferendo non est, quoties pondere isto premitur, ac fermè vix premitur absq; salutari hoc Signo fortissimè pro Patria sublato. Vtinã tanta nobis vel dictionum esset copia, quanta Tibi armorum eiusmodi! Erat semper in promptu GEORGII ZASLAVII Ducis Martiale præsidium, erant KORECIORVM, CZARTORYSCIORVM, aliorumq; Ducum

Ducum ac procerum inuictæ centuriæ, quorum vel nominibus recitandis immensa propè oratio deberetur. Omiserim, pace Tua, Illustrissimum KAZANOVIVM Podoliæ Palatinum, Cāpestrem Exercituum Ducem, in primis cæteroqui ponendum: sed illi & Prussico, Moschouitico, Turcicoq; bello magnâ hostium clade parata est immortalitas, & recens è Moschouia victore cum exercitu ad palmam haud dubiè aduolasset, si cuiusquam passibus victoria Tua præcurri potuisset. Omiserim & clarissimum quà Patriâ Lunâ & Stellis, quà suismet facinoribus STANISLAVM DANILOVICIVM, cui in luce tot Astrorum nato splendidius nihil esse potest, quàm Te Imperatore ea militiæ rudimenta posuisse, quæ tot victorijs erant distinguenda. Nec minore compluriu̅ aliorum veniâ opus erit, qui se à panegyri nostra præteritos minùs tamen succensebunt, cùm Fastos impleuerint æternitatis. Est

præ oculis POTOCIORVM & KALINOVIORVM æmula fortitudo, est SOBIESCIORVM & OSTROROGIORVM præpotens dicendi vis atq; agendi, est aurati Equitis RADIVILII probata bellis omnibus fortuna, sunt aliorum decora sanè innumera: verùm ea diserto vtcunque silentio venerari cogimur. Vnius tacere non debuimus ALEXANDRI PIASECZYNII nomen, quod literis ipse dignatus Regijs Europæ commendasti. Claritatem hinc illeTuæ Maiestati, illi Maiores debent. Fluuius certè gentis huius prænobilis tunc fluere cæpit ad miraculũ, cum Tu illum ad miraculum vti. A paruo torrente invsitatæ magnitudinis molem subuersã esse raptamq; in præceps accepimus, cùm exiguis ille copijs totas pænè armatæ Moschouiæ vires aliquoties Magnis Exercituum Ducibus, Teq; ipso teste sustineret. Gladios inter & flammas hostium illæsus, vt sibi fluuialem vndam illi fodere viderentur; dextra tamen

tamen ictum excepit, quasi Mars nottaret eam manum, á qua hosti maximè cauendum esset. Equo à Te Regio donatus facilè apparet, quo cursu sit ad immortalitatis gloriam perrecturus. Iam de hostibus Crucis triũphans in arduo Pacis Arcu fulgere hoc Flumen iure optimo voles, quia præfixum semper habuit trophæum Crucis. Reliquorum pariter integræ legiones suis hunc Arcum Stemmatibus longè latèq; induent Tuæ Maiestatis arbitratu, cuius obsequio dicata tulerant in Amuratem. Nobis omnes elogijs ornare, infinitum: neminem, iniustum videbatur. Satis honorum fuerit, si non tam memori chartæ, quàm Regio pectori nomina esse inscripta vniuersorum intellexerint: nec aliud epinicion laborum, & victoriæ comitibus, ad lauriferæ Portæ ingressum dabimus.

*Phœbonè quisquam Parthicis offuderit*
*Nimbum sagittis missilem?*
*Haud quæret armis obrutam mundus stupens Thressam*

*Thressam Polonis Cynthiam.*
*Quid non pericli quæsiêre dulcium*
*Auara laudum secula?*
*Natura quidquid horridum, immane, ef-*
*Excidijs pauit suis (ferum*
*Marti subesse Lechico vel contumax*
*Gaudet fateri Bosphorus:*
*Nec Luna celat Bistonis perrennibus*
*Damnata tenebris cornua.*
*Sic sic, Polone, semper illunes pati*
*Noctes Amurathen doce.*
*Fortuna crescit ausibus: fortes suis*
*Timentur á periculis.*

HÆc tantorum Arma Trophæo Tuo illigata esse patieris, REX POTENTISSIME, vt vim lucemq́ue accipiant. Regum alioqui laudibus aliena miscere decora indecorum est, quód obruant Maiestatem; in Tuis, vel censore mundo, hac parte securi sumus. Non magis eorum tibi amplitudo, quàm Soli officit lux astrorum. De illorum sic forsan decerperemus victorijs,

victorijs, quibus eæ ſedentibus( tametſi & hoc gloriæ datum ) afferebantur, adeòq; triumphaſſe toties leguntur, pugnaſſe nunquam: Tu alienum crederes triumphum, ad quem ſola Tua Felicitas ius haberet. Manu fortunam vbiq; promoues, non auſpicijs glorioſior, quàm factis, vt gemino ſucceſſu per omnia ductus bellorum genera omni facilè humanæ gloriæ præcurras. Duas Orbis partes totidem anni, quos non tam regnando exegiſti, quàm triumphando, Tibi ſupplices vidêre, nouum ſanè inuiſumq; ſpectaculum: laureâ Septentrionali alterum, alterum Aſiaticâ ſignaſti. Nunquam illuſtriore ſymbolo Regalium annorum numerū didicit Orbis terrarum. O dignum perennitate bienniū, quod longa quorumuis Imperiorū ſecula non attigere! Ignorabitur olim fortaſſe Liuius, cùm tot ſeculorum Faſtos quiſq; iam legere potius volet, in Regni tui anno primo vel altero: manebit ſub ſuo nomine

Tacitus,

Tacitus, cum belli paciſque artes in Te (Magna Orbis Hiſtoriâ) mirificè incluſas diſcet compendio meliore poſteritas: Maior fama erit Curtio res Macedonicas ſupra fidem attolenti, cùm exemplo certiùs quàm ille commentario, ea edideris, quæ adhuc dubitaret Orbis an fieri poſſent, niſi iam feciſſes. Infelicia ſuperiora tempora, quæ tot bellis caruêre: quia & triumphis! felicem tot hoſtibus Poloniam: quia tot hoſtium Domitore! Nemo campos illos abhinc ſteriles dicat & incultos, in quibus è barbarorum terrore nata eſt Europæ ſecuritas. Erit propugnaculum Orbis terrarum, erit Sarmatia, dum infeſtis mundo Lunis Turcicis hanc Tu oppones terram, vt obumbret. Portentum ſuſpicari viſæ ſunt exteræ nationes, cùm Te Bredana Clariſſimi Spinolæ caſtra ineunte, Luna cœleſtis ire in tenebras confeſtim atq; pati deliquium cœpit: ominis iam habent interpretem hunc Triumphũ;

Caſtra

Castra modò Tua ingrediebaris, cùm repentè caligo barbaris oborta. Hunc Te Superi, VLADISLAE REX POTENTISSIME, seruent humano generi, vt Tu genus humanum, DONEC AVFERATVR LVNA

*Ad maiorem Dei Gloriam.*

# TROPHÆVM REGALE

POTENTISSIMO
POLONIARVM & SVECORVM
REGI
VLADISLAO IV.
CRACOVIAM
ANTIQUISSIMVM SARMATICI JMPERII
DOMICILIUM
SACRO SOLENNIQ; REGALIS INAVGVRATIONIS DIE
JNEVNTI
A Cracoviensi Collegio
SOCIETATIS IESU

DA VIAM, SARMATIA,
Cui nihil inuium natura ſepoſuit:
EFFER MOLES SUBLIMES,
Altus per depreſſa ingreditur capita
Moſchouitica, Othomanica, Muſurmannica,

HIS GRADIBVS

Ad ſolium euadit, & Coronam;
Id regiū eſt, Polonū eſt, Iagielloniū eſt.
Vt abſint ſtrata Purpurea,
Sufficit Barbarorum Cruor
Quondam Saluti Patriæ Propinatus.
IMMÒ
Et Sanguinē habet, qui ſolus nunc ſolia tenet.
Quid natiua illa cordium Purpura?
Omniū Traxiſti gentiū corda & vota,

MAGNE WLADISLAE,

Vnus es quem Regem elegere ſuperi
Vno Orbis terrarum Suffragio.
Deerat hoc tuis victorijs
Vt animos vinceres.

O TRO-

O TROPHÆVM,

In cuius Spolijs numeratur
Captiua ſua ſponte libertas.
Is mihi verè Princeps,
Cui ſubditi pendunt

AMORIS TRIBUTVM.

Imperare multis contigit,
Vni tibi, quod ſciamus, ita volentibꝰ imperare.
Maieſtatē alij, Alij querunt & Regna,
Te Regnum vltro quæſiuit & Maieſtas.

I, VICTORVM FORTISSIME AC FORTVNATISSIME,
Meritam Triumphis Coronā Imponi patere

QVACVNQVE INCESSERIS

Iter iā Tua ſtrauit Manus;
Tua ſunt Trophæa
Quas intrāti Obuias Moles Vides.

QUIDNI VIDEAS?

In Oculis Europæ ſunt
Tuo Bellatoris Ferro

Non Cœlo Artificis elaboratæ.
NON EGET HEREDIS ALIENIS
Quem Suæ ornant Laureæ:
Hinc Moschorū appensa nō sterili trūco arma,
Inde Turcarū exuuiæ induunt æqualē quercū;
SI CVLMEN POSCES,
Ensem Tuum Impone.
Sed & Pacis Assertori
Addet, cum voles æther ipse Arcū Pacis,
Nam & belli præsidia dabat, cū velles:
Militat omnis Virtuti Manus.
Vna hæc Principum felicitas est
Suā vbiq; felicitatē inuenire aut facere,
Nec magnæ fortunæ indigens magni animi,
In Manibus Fortunam fortes Gerunt.
Sint alij ludus fortunæ, fortuna Tibi est
FORTVNATISSIME VLADISLAE,
Moschouiæ Tellurē vix pede presseras,
Cum oppressisti;
Penè prius Imperantem Sensit
Quam vidit præsentem:
Coronam obtulit Supplex,
quia

Quia nec Polonũ, nisi subiectione, debellari (sciebat,
Nec Te accepturum Regna, nisi rogatũ.
Omnino caret æmulis Virtus
QUAM HOSTIS ORNAT.
Arma rebellium contra Te potuerunt
Quod Mucro Stellati Orionis
Contra Solem Orientem;
Astra hæc & castra Extinguis, dum aspicis,

NOBIS ORIENS,

Hosti Terror, & Occasus.
Sed moremur Paulisper & Miremur
Maturum in immaturata ætate Martẽ,
Eiusque cruentis Aris
Coronam Lauream volentes libentesq;

APPENDAMVS.

TV REGVM SERENISSIME,

Luctibus hic absiste, parentaliq; cuppresso
Nuper solutas impedi lauro comas.

COLLIGE,
ET COLLIGA
Florentis Æui Messem
Nunquã Senescens Virtus.
Felices Thoros componito,
Nisi Falces malis Iagiellonios.
Germina Æternum Virentia
Dabit ille Gelu Hyperboreo Oriens
Taurus,& æterno damnati frigore colles.
Quod Guttis Moscouiticus Cruor
Arctoam Rubefecit Canitiem,
Arctoam Molliuit Duritem
BELLANTE VLADISLAO,
TOT PVLLVLARVNT LAVREÆ,
TOT PVRPVRÆ TOT PALMÆ
VICTORI VLADISLAO.
Hinc Serta Necte Virtus,
Ne tæniã quæras, cape
Æternitatis
Orbem.

# PÆAN TRIVMPHALIS

## MOSCHORVM DOMITORI.

O Quis alati Boreæ niuoſas
Te locet pennas ſuper, & iugali
Subuehat Coro, medijſque ſiſtat,
Lechia, ſtellis;
Quà Trionali patrius ſuperbit
Boſphorus curru, attonitaſque, & vltra
Ire iam ſegnes renuente loro
Increpat Vrſas:
Bella mirari tua bella poſſes:
Vt VLADISLAVS trepidis theatrum
Explicat campis, auidamque ſcenæ
Diſtinet Arcton!
Ecce, monſtrares, rutilæ decorus
Emicat fulgor galeæ, comatam
Ceu leuat frontem Libanitis inter
Cedrus oliuas;
Vt per obſtantes rapitur phalangas
Ceruus

Cernuus? latos vt agit rotato
Limites ferro prior, & cruentum
Depluit imbrem.
Fracta collisis riget aura contis;
Attremit motæ dubius procellæ
Taurus, arrecti vario sequuntur
Murmure colles.
Sic vbi toruæ maculosa Lunæ
Hauriens cornu Oceanum supino
Fœta nimborum facies recepto
Palluit Austro,
Hinc & hinc surgit fragor, inuolutos
Imbribus frendens ruit æther ignes:
Rugit emoto tremefactus omnis
Cardine mundus.
Noster haud primos aliter tumultus
Excipit Mauors. niger eujbrato
Grandinat plumbo polus, igneoque
Rupta tonitru
Aura complosas gemit inter hastas:
En pharetrarum seges! en micantum
Con[illegible] ad[illegible] & [illegible]is

Ipſe per triſtes gradiens aceruos
Funerum Victor numerat recentes
Lechicâ palmas frameâ, atque clades
Cladibus auget.

Inde nitratâ malè tectus vmbrâ
Trux MAISTRVGVS taciturna morſu
Labra caſtigat; ſequitur fugacem
Pœna Tyrannum.

Alter, hinc, noctes petit irrepertas;
Vtque deprênſus ſtabulis pudorem
Prædo mentitur lupus exprobanti
Furta colono.

Sic inacceſſi latebras MOSAISCI
Linquere inuitus dat & huc, & illuc
Mobilem greſſum: ſed & hinc & illinc
Verbera terrent.

It catenato numeroſa collo
Moſcuæ pubes, rubra concolori
Terra iam riuo calet, erubeſcit
Sanguine Pontus.

Quæ Tibi, quæ mens foret hæc tuenti?
Perge, clamares, animoſe, perge,
Duplica lauros, ſtet honora toto
Purpura ferro.

Ara iam stellis Tibi surgit istis:
Huc renidentis quoties sepulchro
Moscuæ fumus ueniet, *Sabæas*
Vincet acerras.
*Sume*, quam victâ Boreas Coronam
Fert tibi dextrâ: Diadema maius
Ipsa dum tantis paro Magne VLADI-
SLAE triumphis.

HÆC BELLORŨ EXTREMA FVISSENT ALIIS,
SED TIBI RVDIMENTA.
Terrori omnium Nationum
Terror Destinabaris:
Orbe Terrarum Hausto
Suum completura Orbem
Luna Turcica Videbatur:
SED PRÆSTO ERAS
Qui coeuntia Europæ dissidijs Cornua,
SI HASTA NON LICERET,
Obiectu Laterum Impedires.
Totam In Nos mouerat Auroram
Tũc Mũdi pauor, nũc fabula Osmanus;
*EAM TV RVBERE DOCVISTI*
*SVO VEL PVDORE, VEL SANGVINE.*
Viris, Armisque Podoliæ Campos obtexerat:
*Vt esset, unde Aggeres Polonia haberet.*
Vno impetu Sarmatiam à se sternendam Barbarus ominabatur,
*Vno à Te stratus est, stragibus Barbarorũ*
SECULA TOT ALIOS DEFECISSENT,
Quod tibi satis erant ad victoriam dies.

Diuturna aliorum bella suspicimus,
DE TE DUBITAMUS
Viderisne hostem prius, an viceris?
Non putares Te vicisse.
*Nisi mortalium opinionem victoriæ celeritate vicisses.*
REGIA VIRTUS
Multarum in sese compendia gerit.
Tam erat omnibus incredibile
*Tantam Belli Molem Sustinere*:
QUAM TIBI FACILE
*TANTA DELERE RVINA*
Quidquid humanas excessit vires
Tuas nondum assequitur.
Nec aliud hostem Solatur,
Quam ab hac Manu accepta clades.
Puduisset alium non vincere,
A VLADISLAO VINCI NON PVDET.
Fatale hoc Turcis nomen:
*Terruit Amurathem in Auo,*
*Perdidit Osmannum in nepote.*
Cresce, si potes, luna Othomannica.
Sed menstruæ Paupertatis memor.

Lechici solis occursū, vel dum oritur, caueto:
Minui luna solet, quoties orienti vicina.
JLLUSTRIS & PLENA VIDEBARIS
Quam diu ad hunc non accessisti.
Quanquā nec accedere ad solem luna potuit
Nisi vt subijceretur.

*Ergo & hic Regali Trophæo substernere,*
VIDEAT SUBDITAM
*(Si VIDERI DELETA POSSUNT)*
Cui nihil est, quod jam invideat.
*Assurge, Assurge Æterna Moles,*
*Seu armis Barbarorū Voles Crescere, seu Acernis:*

Terribili frontem velabit crine Cometes

OSMANNI quondam fato succensus ; & olli

Tæda sepulchralis, Tibi, VLADISLAE, futuri

Auspex Imperij: Victores inde Polonos

Fortè requirenti propiùs narrabit Olympo;

HIC

HIC
FVRORIS
OTHOMAN-
NICI LIMES Æ-
TERNVS ESTO. BV-
STVM BARBARIÆ EST,
QVOD CALCAS, VIATOR.
CECIDIT HAC IN VALLE
OSMANNVS CLADE SVA MA-
GIS QVAM IMPERIO TERRA-
RVM ORBI NOTVS. IBI DELE-
TÆ AB EVROPÆ DEFENSORE
VLADISLAO TOTIVS ASIÆ
INGENTES COPIÆ FRVSTRA COM
MVNI SEPVLCHRO DVCTORIS VM-
BRAM CELATVRÆ. NEC PROCVL
ABEST IMPERMISTVS PROFANO CI-
NERI HEROVM SANGVIS. EHEV! STA-
NISLAVS JLLE ZOŁKIEVIVS IBI VITAM
AMISIT, VT JNVENIRET POLONIA; VI-
CTVRVS, NISI VINCERE MALVISSET. IBI
CAROLVS CHODKIEVICIVS VICTOREM EF-
FVDIT SPIRITVM, VT PATRIÆ JNSPIRARET,
IBI TOT FORTES ANIMÆ, TOT STRENVI BEL-
LATORES, QVORVM E VVLNERIBVS PLVS GLO-
RIÆ, QVAM SANGVINIS MANAVIT. SECREVIT
HOS TANDEM CINERES MAGNI VLADISLAI
DEXTRA: ET INDE BARBARIÆ MONVMENTVM,
HINC PERENNE SARMATIÆ
MVNIMENTVM EXTARE IVSSIT.

# TVRCARVM DEBELLATORI JO TRIUMPHE.

NAm quæ labentis pondera digniùs
Fulcire mundi dextra, vel aurei
Currûs anhelantem Bootæ
Odrysiam cohibere Lunam,

Tutaſq́ue poſſit nomine Lechico
Sepire terras, & Mareoticos
Titanas amoliri, & Orbis
Perpetuos reparare vectes:

Quàm barbarorum cladibus agminũ
Enata Virtus? Te rigidis ſuper
Cunis trophæorum reclinem
Plauſus ouans, roſeoq́; Mauors

Lactauit imbri. diceris inuido
Mouiſſe fletum Taygeto, dies
Cùm prima, VLADISLAE, mēbris
Suppoſuit clypeum ſupinis.

Hinc

Hinc sæpè caris obruit arcubus,
Idemque dextrâ sustulit horridâ
Per signa reptantem, & cruoris
Intrepidum, intrepidumq; ferri,

Ac dura Mauors per galeam sacro
Libauit ori basia, & apprimens
Cordi molesto, ferreisque
Pectoribus, gladioq; mulcens:

O cresce, fatur, cresce rebellibus
Terror Gelonis. Te sibi barbarus
Expectat Othrys, vindicemque
Acciduus trepidat Cytharon.

Obsessa dudum Te Lapithis vocant
Pangæa sæuis. Te iuga supplicis
Hæmi, coronatæque saxis
Culmina, Te Rhodopes adorant.

Hastâ proteruum Tu mihi vindice
Turbabis Istrum, Bistonio niues
Tabo; colorabis, metuque
Ismarium glaciabis Hebrum.

Attollet olim Cynthia Thracios
Irata vultûs, & Borealibus
Adiuta fulgetris subacto
Excidium properabit Orbi.

Sed Tu, reuulso qualiter euolat
Immugientum carcere nubium
Fatale telum, quod corusca
Per medios rapit ira nimbos:

Ibis profanæ magna superbiæ
Clades, & omnem turbinibus procul
Vastabis Arcton. heu! proterua
Æmoniæ date colla turres.

Iam calua cæso vertice collibus
Ehem, propinquis fit Rhodope iocus;
Frustraque deplorabis Hemum,
Caucase, iam capitis minorem.

Ferire metas non humiles solet
Præclara Virtus. Cornua barbaræ
Cauete Lunæ; fulminantem
Odrysio iuuat ire cœlo.

Osmanne, Fatis ludibrium tuis
Hâc hâc peribis dextrâ, Othomanicos
Hæc franget insultus, Polonis
Hæc dabit Inferias sepulchris.

Non vsitato flumine te tuus
Deflebit Hebrus, cum Geticas vehens
Strages pigrescet, decolori
Ipse sibi metuendus æstu.

Io, ter Hæmum, ter Rhodopen sacris
Nutâsse pinnis cerno, ter ignium
Effulgurantum tortuosas
Emicuisse procul sagittas.

Regnabis olim Martia Martij
Proles Parentis: sed priùs horridos
Fuluum reformabis Coronæ
In pretium gladios futuræ.

O CÆLESTEM VICTOREM!
Nam & ſtellas in Triumpho ducit
*Niſi Titionibus inſignire malis*
*Buſtarium ſcytharum gregem.*
Sed ſtellæ ſint
Quarum Aſpectus vel Roma ſẽper exhorruit
Cum vtramq; Solis Domum Teneret.
Jam occidere Coguntur, vel extingui,
*Quia Lunæ Turcicæ Sequaces.*

COGIT VLADISLAVS:
*QVIA SEPTENTRIONIS DOMITOR,*
*Quia Soleſt, perdere natus Aſtra minora.*
Nunquam Luxiſſet Podolia,
Niſi aliquando his ſtellis Luxiſſet;
Nec Ominoſius quidquam accidit
*Quam erronũ hujuſmodi cum Luna conjunctio*
Sed reperit Atlantem
Qui hunc Zodiacum verſat.
*Ipſi dominatur Olympo*
*Confeſtimq; jubet natas occumbere ſtellas*
Quidni impaleſcant hæ ſtellæ
Dum vident ſolẽ Orientem?

OLIM

OLIM PERISSENT
*NISI LVCERENT ALIENO.*
Collucere soli iam possent,
*SED NOCTEM AMANT.*
ANNON STELLÆ,
*Quæ ista lunæ Othomannicæ Famulantur?*
*Imo intereunt pari occasu.*
Despice hæc astra, VLADISLAE,
Iam sub pedibus habes.
*Eia, convelue signa lunasq́; Tuas,*
*Erratica Planetarum cohors,*
*Et si quid monstrorum ibi vel armorum agnoscit Mathesis,*
*Cuncta sub nostri Herculis pedes eant.*
*Debet hoc Tibi inflammatus Orbis,*
*Vt rogus quoq́; Tibi ab orbis vindice construatur:*

Jnde triumphalis consurget in astra Colossus
Dædala quem ornat Virtus, quem Gloria comit
Astrigeraq́; locat Borealem fronte Coronam.

EN SPOLIVM
DE MUNDI PRÆDONIBUS.
EREXIT HOC MARMOR
DEPRESSA IMMANITAS;
CVM
SCYTHICO FURORI
CRUORE SCYTHICO
LITARET,
AUREAMQ; LIBERTATEM
FERRO EMERET
EVROPÆ LIBERATOR
VLADISLAVS
ADORA, HOSPES,
E BARBARORUM INTERITU
ORTAM IMMORTALITATEM.

TER-

# TERRORI SCYTHARVM PLAVSVS TRIVMPHALIS.

QVid? fumātis adhuc Barbariæ rogū
Voluit ſanguineo turbidus alueo?
Arctoane ſatur cæde Boryſtenes
Hauſto conſtitit aggere?

Differtur rapidis præpes Eteſijs,
Mirantique polo figit adoreas
VLADISLAE, Tuas, & vaga Lechico
Terret ſidera claſſico,

Æternumq; globis ſcribis in aureis
Carmen gnara ſtyli Fama adamantini:
Et ſæuæ memorat prælia Thraciæ, &
Sæuæ funera Thraciæ.

Qua cæli rigidus parte ſtat Hercules,
Et clauâ domitæ vulnus adhuc Hydræ
Sublatâ minitans non gladio ſatis
Tutum terret Oriona;

Depingit tetricum Tartariæ caput.
Circùm vipereæ colla tremunt comæ,
Scintillant oculi, terrificum cauis
Fulmen ſurgit hiatibus;

At Phœbo genitâ luce ſerenior
Læuâ ſacrilegam Diuûm aliquis iubâ
Prenſans implicitâ Sarmatico efferum
Detruncat gladio caput.

Hic, trudit vigiles fons vbi vitrei
Vndas Eridani, ſideribus graue
Attolitque vadum, & ſupplicis ignea
Cœli rura perambulat;

Deleto rubeum ſubſtituit Pado
Iſtrum, quem galeis aſpera barbaris
Armorumq; frequens vnda natàtium
Stellis donat inermibus,

Sic, inquit, Geticis ille voraginem
Implebat refugam ſæpè cohortibus,
Cum iuſſus Lechicâ ſanguineū manu
Vectigal daret Æquori.

Hîc, manantis

Hic, manantis vbi lactea circuli
Diffundit rutilum semita verticem,
Et Cygni, propiùs dum volat, æmulo
Pennas lumine prouocat:

Fulgentem riguo sanguine tramitem
Captiuique notat littora Phasidos,
Quæ præter niueis clara iugalibus
Cœlos Gloria peruolet.

Ac tandem gelido Bosphorus essedo
Iungi difficiles frænat vbi feras,
Sertumque è nitidis compositũ ignibus
Orbi deligat aureo:

Dantem laurigeris fræna leonibus
Victorem spatio ducit eburneo,
Stellatumque sacro, non sine Plausib9,
Sertum vertice collocat.

Tum splendente Lyram deripit æthere
Dulces Strymonij relliquias metri,
Et carmen populis narrat, & vrbibus
Carmen narrat amabile:

Victori ter Io ſidera dicite;
Vos rauci lituos promite turbines
Victori ter Io dicite; vos pia
Euri, ſtringite claſſica.

Jam paret Boreas, Moſcus cladibus
Sat iã feſſa ſuis. Thracia adhuc pauẽt
Te Lunæ: inque ſuis vulneribus Scithes
Annos dinumerat Tuos.

Sic Viuas Lechici gloria Nominis
VLADISLAE. Tuas Balthica littora
Narrent Oceano, narret adoreas
Euxino Tanais tuas.

Victori ter Io tympana conſtrepant,
Victori ter Io claſſica conſonent,
Victori ter Io plectra Polonica
Et ter pectora concinant.

TROPHÆVM ALTIVS NON REQUIRAS
MAGNE VLADISLAE,
Iam virtus Tua, quo pergat Altius, non
habet.
Is per Triumphos ad Coronam:
Nulli Regum præclarior aſcenſus.
Regnum alijs donum eſt, Tibi merces.
Minus reddidit Polonia, quàm dediſti.
Debet hoc Tibi libertas
Quod nulli debeat;
Seruire vni parata
Per quem, ne vlli ſeruiret, effectum,
Fruſtra iugum moliris, Scythia,
Olim ſubiugata;
Eſt contra vincula, nodosq́; gordios
GLADIVS ALEXANDRI.
Nihil ita expers iugi, vt Aquila.
Polonis gratior eſt libertas ſine vita,
Quam vita ſine libertate.
Et Tu, Luna Turcica,
Tuis cornibus caueto:
Nunquam Luna Soli aduerſa eſt quin
Eclipſim patiatur,

Tuq; in fatis habes
Vt hic occidas, quoties oriris.
At Tu si Audes Moschouia
Vires & viros collige;
Magno apparatu est opus
Ad magnam cladem.
Ne dubita
Libentes in Taurum volant Aquilæ.
An Fidis Equiti
Cui nihil est, Quod detrahetur?
Si tyro non horruit,
Contemnet Hydrã grandior Hercule
Non superest hostis, quem metuas
REGIBVS METVENDE REX,
Vnum hoc Times
Ne Timeare.
Armis hostem, clementiâ Tuos vinci
Animorum victor & armorum.
INGREDERE SOSPES ET FELIX
Avite Divorum Sanguis,
Tuæ Patriæ votum, & spes,
Polonæ libertatis Augustal.
Ingredere Fortium clementissime,

Clemen

Clementium Fortissime,
Tota Lechici nominis Maiestas.
Ingredere vita Civium, & Salus,
Consilium Reipub. Senatus Oraculū
MENS POLONIÆ.
Tecum Tua Felicitas pari manu Sceptra capiat,
Tecum Tua Virtus Coronetur.
Imple factis Fastos Æternitatis,
Addant Tibi Annos Superi
De nostris Annis.
Addant tot Salutes,
Quot nobis eripi ab hoste vetuisti.
Denique
REGNET TVVS SANGVIS
DVM REGES HABEBIT POLONIA.
Annuite Fauentes Superi.

# DEDICATIO

QVæ Tu olim in omnium gentium oculis, ea nos aliquando in Tuis Trophæa Tua collocamus, REGVM POST NATOS REGES FORTISSIME. Pauciores hîc literas, quàm Decora Tua numerabis. neq; enim aut tam celer est Stylus noster, quam tuus Gladius, quo paucis annis tot seculorum historiam Orbi dedisti; aut libelli angustiæ concludere potuerunt eam Gloriam, quæ vix cœlo capi posse videatur. Aspicies tamen vultu, quo omnia serenas, religiosarum mentium deuotam Tuæ Maiestati obseruantiam, & aperto hoc libello, vt quondam aperto malogranato Cyrus vt plura verba, quàm ille acinos, ita plures Zopyros, quàm ille optabat, reperies. Trahit vndequaq; mortaliũ voluntates Diui Parentis Tui superstes in Filio Clementia

& ipse Thronus Tuus Humanitatis luce magis, quám purpuræ vel auri fulgore conspicuus. Et nobis quidem vehementer optandum erat, vt iustum venerationis tributum Coronæ Tuæ Regiæ in primis debitoribus persolueremus; sed communi gratulantis Patriæ Regnorumq; omnium voce factum est, vt vltimi SACRÆ MAIESTATIS cultores laudatoresq; audiremur: si quid vltimum esse potest in ijs laudibus, quibus nulla finem allatura est ætas. Stabat eminùs Apollo noster, neq; confertam tot populorum plaudentium coronā perrumpere poterat, hoc vno desiderium solatus; quod vel Oratoribus opus non esset, vbi gesta Principum perorarent: vel si esset, ij iam præmissi viderentur, quos ipse verbis quondam suis ad Regum Regnorumq; obsequia instruxisset. Ita demùm accedimus, Regaliq; Tuo ingressui Trophæum verbis & linguâ (nam re & manu vnus Tu potes) excitamus,

non

*non vltimum arbitrati, quod in primis Regum Fastis descripsit Æternitas. quanquam nec vltimi esse recusabimus, si Tu, REX OPT. MAX. inter Tuorum vltimos adnumeraueris.*

* * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * *
* * *
* *
*

# IMMORTALES
# GRATIÆ
*POTENTISSIMO*
POLONIARVM ET SVECIÆ
*REGI*
# VLADISLAO IV.
*LIBERATORI, VINDICI, SERVATORI,*
DVM
PACATO SEPTEMTRIONE
VICTOREM EXERCITVM
In Amurathem Turcarum Imperatorem
Duceret,
MAIORA OMINANTIS PATRIÆ
VOCE,
*SOCIETATIS IESV PROPENSO STVDIO AC VOLVNTATE*
DICTÆ DICATÆQVE.

AD
POTENTISSIMVM POLONIÆ REGEM

# VLADISLAVM IV.

MAGNVM DVCEM LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ;

NEC NON SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQ. HÆREDITARIVM REGEM

## PRÆFATIO.

*EST inter prodigia Victoriæ Tuæ Moschouiticæ, REX POTENTISSIME, quod nec hostes à Te laudando abstinere voluerint, nec Tu eorum laudes aspernari. nihil quippe magis admirandum, quàm humanitatis inter aduersa certamen. Accedere hoc ad miraculi amplitudinem solùm potuit, vt lapides etiam perorarent. nec aliud sumus, qui hâc primâ Victoriâ tuâ, hoc est, primo Solis Orientis radio tacti, vt saxeus ille Memnon, vocem damus. Nimirum diu ante cum*

Orphei simulachro, Te ad bellum hoc, altero videlicet Alexandro, proficiscente sudanimus; haud dubij, ea Te gesturum, quæ dicere volentium quantacunque ingenia fatigarent. Vt enim incolumitati publicæ timere nemo poterat, qui cum Imperatorio isto paludamento Poloniam Tuis humeris videbat impositam; ita cùm hostibus grauis atque intolerandus extitisses, quàm Te sibi formidabilem Oratores ac Poetæ essent habituri, facilè quiuis diuinabat. Nam æquè hostem, ac imparem laudatorem opprimit magna virtus, & cùm timeri ab hoste iam victor desijt, vrget adhuc & eneruat Oratorem. Hoc dulce tormentum ingenijs admotum nostris adeò dissimulare non possumus, REX POTENTISSIME, vt quantouis conatu in Laudibus Tuis non plus, quàm muta saxa & elingues statuæ præstemus: non loquimur, nisi quod gesta inspirãt Tua, atque vbi longè iam excursum credimus, ceu lapides fixi adhuc & immobiles hæremus. Quo magis syncerum esse oportet

*hoc laudationis genus, magisq; ab officiosè concinnatis lenocinijs alienum. Populare studium & fauorem ab alijs fortasse iustiùs expectes; nos procul à blandiendi periculo sors nostra esse voluit: maximè in Dei, & Regum laudibus religiosi sumus. quanquam verendum nemini est, ne quid augeat in rebus Tuis, quibus & nulla par est magnitudo, & ea ipsa, quæ dici magnificè possent, Tu cum Adiutore Deo communia fecisti, securus gloriæ, quam illis manibus credidisses. Atq; adeò indecorũ (ni fallor) non iudicabit Orbis, cùm togatos Religionis milites de armis coram Achille differentes audiet: Bella Domini sunt bella Tua, & eandem causam Religio meliorem, Tua Virtus superiorem facit. Attamen Patriæ voce vti placuit, quâ nihil Tibi carius; vt si gratam se memoremq; Tibi pro pacato Septemtrione probauerit, Orientis iam iam edomandi, quod in Te vno situm est, omen teneat indubitatũ. Ad maiora passim gradus est, primis beneficijs respondisse. Hanc dum perorantem*

*tem inducimus, nouo Attentionis parandæ artificio, quod ætas nostra primùm a Te docta est, libenter fidenterq; vtimur Tuæ Maiestati, imò Clementiæ, supplices, vt eas tantùm aures apud Te reperiat, quas nuper Hostes Tui.*

GRA-

# GRATIÆ

## POTENTISSIMO POLONORVM SVECORVMQ. REGI VLADISLAO IV. FORTI, STRENVO, FELICI, OB

*LIBERATVM OBSIDIONE HOSTILI SMOLENSCVM.*

FOrtitudini Tuæ immortale testimonium dedit terrarum Orbis, REX POTENTISSIME, cùm Te concordi mortalium omnium suffragio vnum esse voluit, qui forti semperq; victori populo imperares. Dederas enim Tu prior, cùm solis notâ Heroibus via per ingentes prostratorum hostium aceruos ad Regale solium triumphali passu eniti videreris. Equidem gloriosius nemo Regnum, quàm victorijs obtinet, purpuraq; illi maximè decora, cui plurimùm rubet hostili sanguine. Ac Ciuibus quidem Tuis humana æsti-

mantibus deesse iam videbatur, quó Virtus ascenderet: nec forsan errassent, nisi Tu re & factis vltra cogitationis audaciam progressus, iucundam Æuo nostro ignorantiam obiecisses. Regnãdi tẽpus sortitus es, quod Polonia Tua cum omni genere hostium dimicandi, atq; vt victuro Herculi monstra, sic Tibi regnaturo tot vndiq; hostes vincendi fortuna prouidit. Et cognatæ manûs hostilibus armis cinctus es, vt ostendas, quantus sis etiam inter Tuos; & Barbariæ totius bello peteris, vt totius Domitor euadas; & fæderatarum nationum anticipata in te mouit hostilitas, vt celeriùs vinceretur. Atq; vt magnæ mentes in ardua quæq; obstinatius ruunt, sociale hoc bellum tantò auidiùs auspicatus es, quantó maiori apparatu institui nuntiabatur. Augebat hosti ferociam non modò periurij conscientia, veniæq; desperatio, quæ duo quantam seruilibus quoq; animis vim audaciamq; suggerant, meminit Roma; sed quod-

quoddam præterea fatale odium, & qui à vincendi libidine abesse non solet, furor infelix agebat præcipites: vt iam appareret Tuis aliquando vinculis constringendos esse, qui sic insanirent. Et quia semel iram in consilium admiserant, nihil mite aut lentum agitare, omnes vndiq; vires colligere, accersere militem externum (quasi paucos domi haberent, qui nos perditos vellent) è bellicosissimis gentibus peritos militiæ magistros inuitare præmijs, solicitare finitimos populos, atq; adeò magnam Europæ partem, Asiam vniuersam in eiusdem belli societatem trahere; vt vno in hoste nationes propé omnes vincendæ Tibi essent. Iuisti contra imperterritus magnorũ vnus exercituum animos gerens: tametsi non aberat omnis fortunæ comes Serenissimus Princeps CASIMIRVS, sub fraternis auspicijs iam gloriæ proludens suæ. non aberant fidæ Tribunorum atq; cohortium Tuarum manus hostilibus non

numero, ſed ſanguine meliores ac virtute, deniq; cùm tecum aut vincere penè certum, aut, ſi (quod nec Superi, nec tua ſinit Virtus) aleam vertiſſet Mars, Tecum vinci non inglorium foret, auxiliares copiæ vltrò aderant deuota Reipubl: capita in hoſtem ferentes, haud ignaræ vel ijs amiſſis deeſſe locum non poſſe, vbi Cælum ac Tu coronam reponas. quodq; præ omnibus eſt, fœderum violatorem teſtis atque vltor Deus, & cauſæ melioris Fiducia pari Tecum manu arma geſtabant. Sanè debellatus iam hoſtis credi poterat, contra quem cælum & æquitas facerent. Quia tamen & cauſam æquiorem vis non rarò euertit, & nimium ſæpè arcana Superûm decreta.

*Stare ſinunt, lætoſq; diu florere nocentes*
*Vexariq; pios,*

Ne quid in Te fatorum vis poſſet; illud ab armis præſidium, quo præire fortunam non ſequi doctus es. celerrimé comparaſti, æquè impium ratus, arma

iniu-

iniusta & iustitiam inermem tanto bello committere. Erat enim rumore ipso formidabile, ac velut septennio collecta tempestas ad vnius impetum & horrorem turbinis reseruatum. Certè nationes aliæ, ad quas etsi non periculum, trepidatio tamen peruenerat, expectabant attonitæ, quò hæc tanta duorum populorum de summa re dimicatio spectaret; & quicunq; huius virtutem vinci nesciam, illius obstinationem & vires cogitabant, nihil profectó nisi serum aliquid ac Nepotum fortè prælijs terminandum, præsagire poterat. videlicet magnarum molium ipsa etiam ruina solet esse diuturna. Quò ampliùs admiramur diuinam fortitudinem Tuam, REX POTENTISSIME, cui, præter hostem, tot gentium expectationē vincere adeò facile ac promptum fuit. Habet suæ laudis æmulum Cæsar, qui non commentario, sed re posteris testetur, Plurimum esse in solerti celeritate momenti. Et enim cùm sentires, boni

Imperatoris esse, non minus consilio vincere, quam gladio; eas copias in hostem duxisti, quas ille cædi non pugnæ destinatas crederet: hosti spem victoriæ, tibi victoriam reliquisti: eâque ad speciem vsus es cunctatione, vt ille priùs Te in vinculis, quàm in armis fore sibimet insolenti arrogantiâ sponderet. satis citò Te vincere posse arbitratus es, vbi prouisum erat, ne vincêrere. Iam successu ferociter Sehinus capto direptoq; Ducatu Seueriensi, belli caput Smolenscũ aggressus erat, iam ductis circùm aggeribus, excitatis immani opere munitionibus, innumeris militum ac tormentorum ordinibus circumfusis serto planè, adamantino vrbem, coronauerat, heu, non vili sanguine diuellendo. suppetijs oppresso illi municipio afferendis tantùm aëris vias non intercluserat, certus (ni fallor) victoriæ, nisi cum Aquila rem habuisset. Deniq; cùm Troiam hanc non absq; dolis capiendam sibi putaret, suffossis cuniculis totam ab imo

euertere ſtatuit, paratus vrbe carere, quâ nec hoſtis potiretur. Erant iam, qui Pergama illa ſemiuſta & lacera, tanquã ſepulchrum cariſſimorum ciuium adſpicerent; & horum quidem nonnulli, quos auidus boni ſanguinis Mars prædam hoſti obiecerat, vſtis pectoribus amorem adhuc Patriæ ſpirabant; alij maximè ijs manibus, quas amiſerãt, Rempubl. retinebant; reliqui omnes reliquũ nihil habebant præter fidem & conſtantiam inauditam. Quid hîc ageres, INVICTE REX? imò quid non ageres? quò & ſacra noſtræ ſaluti capita ſeruares, & Diui Parentis Tui emptam ſudoribus Sparthám, memorabile Magni SIGISMVNDI Trophæum, ab interitu vindicares? Agebat dijs patrijs Timoleõ gratias, quod ſe Ductorem dediſſent, cùm Siciliæ Regnum ſaluum vellent: Tu REGVM FORTISSIME, vt ambitione minor, ita virtute factisq́; clarior iuſtiorem gratulantis Europæ vocem audis, Æternam immortali Deo gratiam de-

am deberi, quò Te Regem esse voluerit, cùm Poloniæ tot bellis impetitæ, atq; in ea periclitanti Christiano Orbi succurrendum esset. Quam enim feliciter prima hæc à Septemtrione tempestas, quàm celeriter discussa est? Vtinã ista ego tam citò dicere possim, quàm Tu egisti! patuit confestim, quid in acie posset sceptro iam ac diademate, quã antea ferro galeaq; potentior Maiestas: primo statim impetu montem illum, qui conspicuam Orbi redditurus est Fortitudinem Tuam, cepisti: inde, cùm terra vndiq; excluderêris, per hostiũ stragem (quia tantumdem illinc ad victoriam erat viæ) ad Tuos in vrbem euasisti, attulisti opem velut è cælo, nam aliunde nemo sperarat; deniq; prodigium non facinus patrasti, mirantibus eam virtutem hostibus, quam oderant. Ciuibus Tuis hoc vnum dolentibus, quod periculis Tuis securi viuerent. Staret hîc admirabunda oratio, si & Victoria Tua stetisset; dicere obortas gaudio lachrymas,

mas, consalutationes & plausus, omina & gratulationes, quas affatim dictabat suauis acerborum recordatio: verùm hæc expūgis animo, qui ipsa prodigiosè facta Tua maioribus continuò factis deles. grauiùs mox in perculsum & inclinatum hostem incubuisti, tantoque Tibi supererat animus maior, quantò illi copiæ maiores: etenim de imbellibus victoriam non optasses, qui semper eos vincere didicisti, à quibus legionum numero vincebare. Nec Te Tuorum absterrebat paucitas: satis ille Tibi magnus visus est exercitus, qui virtute numerum expleret. | Manus videlicet, non multa nomina bellum peragunt, meliorq; est animorum vis, quàm armorum. | Ita certatum deinceps acriùs, Marte his pollicente lauream, illis porrigente. Planè hîc non in solio tantū, sed in acie quoq; & sub galea regnātem VLADISLAVM IV. vidisti Septemtrio: primus ille ante signa procurrere, ne quis palmæ prior esset; acriter immiscere se præliantibus,

nempe

nempe affectans decoras purpuræ maculas, ſudorem aut ſanguinem, auctoritate & conſilio Imperatorem, labore militem referre, vt alijs incitamentum, ſibi exemplum eſſet, nec tam dignitate cæteros, quám merito anteiret. Quid multa? non modò victoria, ſed vitâ etiam deſperatâ non Te hominem credidit, opinor, hoſtis, cùm tanquam Dei fulminantis iram fugiens abiectis trepidè armis, deſertisq́; munitionibus, nocte media confuſo curſu intra Ducis ſui vallum tenebras & latibulum quæſiuit. diceres tot annorum molitionibus nihil Moſchos niſi carcerem ſibi conſtruxiſſe, vbi perduellionis pœnam luerent. Atq́; haud ſcio, an Te hominem, an prodigium appellatura ſit poſteritas, VLADISLAE REX POTENTISSIME, cùm hæc à nobis accipiet. quid? an non vtrinq́; ferrum, vtrinq́; corpora humana fuêre? quomodo mortalis manus potuit, quod neſcio an mortaliũ ætas omnis præ admiratione ſit creditura? Solo nominis

minis

minis terrore, soloque virtutis Regiæ miraculo durissimam obsidionem penè momento solutã, qui vnquam Fasti prodidêre? aut quæ hæc tam diuina vincendi ratio, sine vi adhibita fugare, prosternere sine armis? Intelligere hîc demũ incipimus, quod alicubi Diuinus ait Plato: Regum animas ex auro elaboratas esse: non enim communem videris cum cæteris hominibus spiritum sortitus. ac illorum quidem animos è ferro aut adamante cusos existimare humanitùs licebit, quibus à Poëta iurè illud occinitur *Vos animæ fortes, vos nati ad bella Poloni.* Tuam verò, INVICTE REX, Mentem (quando nihil aut carius, aut clarius habemus) Auream dici sines, quia Seculũ nobis restituit aureum, Smolensco aureã libertatem. Reliquerit Antonius decedens Filio succedenti Fortunã auream: Tibi Diuus Progenitor legare nihil optatius potuit, quam Animum illum aureæ, hoc est, summæ fortunæ parem. Hac Te mente Superi manere velint auro pe-

ren-

rennius. Manebit certè huius obsidionis depulsæ gloria, dum aliquid Smolésci supererit, aut dum hi manebunt campi testes Fortitudinis Tuæ. Hîc in Riphæis montibus, ponè Alexandri Magni aras ingens sibi olim Trophæum erigetur: huc Smolensciana quotannis pubes sagmina & coronas apportabit, sacroque circuitu æternitatis orbem repræsentans cum thure, ac floribus hoc vouebit carmen MAGNO LIBERATORI.

## O D E.

*PEnè occupatam qui Borealibus*
*Vrbem Tyrannis, Regnaq; Moschicis*
*Seruata de flammis, & vstas*
*Qui Patriæ reparatis arces;*
*Quem sulphuratis quassa tonitruis*
*Delubra, & Aræ, nuper & impio*
*Tentata bellorum tumultu*
*Sacra iuuant, reducesq; Diui;*
*Si quem renascens murus, & alite*
*Versæ sinistra iam potioribus*
*Fatis coronant restitutæ*
*Auspicio meliore turres;*

*Si bar-*

Si barbarorum spoſſes ab ignibus
Fundus, paterno cum Lare ſoſpitem
Solatur, & ferro redemptis
Cum pueris propè rapta mater;
Si quis receptâ Coniuge lætior
Gnatisq; coràm miles amyſtide
Poſt bella certas, & Lyæo
Dulcè furis, ſepelisq; curas,
Et ſæua nudo prælia ſub Ioue
Martemq; cantas, aut madidâ ſuper
Menſà catenatas Falerno
Regum acies cuneosq; pingis,
Aut geſta magni Principis, æmulus
Quæ plangat Iſter, Theſſalicus ſuis
Regnator in fatis vtriq;
Quæ timeat metuendus Orbi;
Nondum expiato fonte Boryſthenem
Iam ſæpè fractis cornibus Arcticas
Verſare cædes, & cruentis
Defluere in Lechiam tributis
Narrare ſeris ſpontè nepotibus
Olim memẽto, & Principe quo dedit
Periurus vltrices Polonis
Manibus inferias Tyrannus.

Heu

*Heu quāta claufis, quidlibet impote*
*Sperare miles, funera Ciuibus*
*Parabat! Eheu quam pudicis*
*Virginibus thalamisq; labem!*
*Bellum imparatæ cùm lachrymabi*
*Affudit Vrbi & immiserabilem*
*Arcton, coronatosq; densa*
*Terruit obsidione montes*
*Eheu Sacramenti ac fidei datæ*
*Et peierati non benè Numinis*
*Memor Sehinus, cum nefasto*
*Igne sacras iaculatur ædes.*
*Auditis? an me terret adhus atro*
*Imago pugnæ? nunc etiam mihi*
*Tellus remugit, & nitrato*
*Igne tonant reboantq; monte*
*Cuniculosis subruta molibus*
*Castella nutant; stant acies, ruunt*
*Muriq;, turresq;, & cadentes*
*Pene ferox rapit hostis arces,*
*Stant fulminatis vndiq; mœnibus*
*Collisa Moschorum agmina, & igni*
*Sub nube fumantes nefandum*
*Excidium properant Alani.*

*Sed*

Sed qualis alto cùm nemorum leo
Rex è cubili proſpicit, ilicet
Damæq;, ceruiq;, & ſub ipſis
Hinnulei trepidant latebris.
Talis Polonis aduolat impiger
Princeps in armis, caſtraq; non ſuos
Proiecta per montes probroſùm
Præcipitat, tumulisq; captos
Inſternit agros, & laceram ſuis
Vrbem colonis reddit & exules
Vrbi colonos, & cruentis
Imperium reparat ruinis.
At ô ſaluti quisquis amicior
Ciuis parentas, hic aliquâ ſuper
Arâ LADISLAVM perenni
Sculpe notâ, memoresq; laudũ
Accerſe rupes, & PATRIÆ PATRẽ.
Gratante cælo ritè loquacibus
Inſcribe ſaxis, populoq;
Cinge comas, viridiq; ſerto.

# POTENTISSIMO POLONORVM SVECORVMQ. REG

# VLADISLAO IV

## JNVICTO REBELLIVM DOMITORI, CLEMENTI DOMINATORI,

## OB

## *CASTRA LEGIONESQVE HOSTIVM DEDITIONE ACCEPTAS.*

FOrtunā fortibus in manu esse, ignorare non possunt, ad quos aliqua Tui nominis fama peruenit, REGVM FORTISSIME & FORTVNATISSIME. Jta enim bellorum vices arbitrio Tuo flectere ac moderari soles, vt cùm dubij Martis imperium alij ferre cogantur, apud Te bellandi vincendiq; par sit potestas. Nulla tam anceps dimicatio fuit, quæ non, vt primùm accurreras, mutantem laurum Tibi inclinaret. Omnipotens quiddam Tuus est gladius, quo paratissimas victorias euertere, penè iam victis præsentissimam perniciem in triumphos commutare, deijcere ardua colla-

colla-

collapſa erigere conſueuiſti. Pridemnè Moſchorum immanes centuriæ ea nobis arma intulerant, quibus non vnū Smolenſcum obſidione duriſſima ſeptum vndiq; & concluſum, ſed Europam vniuerſam expugnaturæ videbantur? Nihil in operibus, caſtellis, turribus, foſſis, machinis, ad vim & artem exquiſitius, nihil in turmis & ordinibus militaribus, totoq; apparatu bellico, validius ac maius cogitari poteſt. ita verò, gentiſq; noſtræ odium plané (quod iam ipſi quoq; faterentur) ſupra communem hoſtium furorem. neminem in tot agminibus reperiſſes non paratiſſimum occumbere, modò Poloniæ ruinâ opprimeretur. Veniſti, REX POTENTISSIME, prælij copiam feciſti: en hic tantus apparatus ludibrium fit terrarum Orbi. iam illi adeò priùs formidabiles, panico terrore correpti intra Sehini caſtra (clauſtra penè dixeram) abditi latenteſque, armis Tuis mirâ bellicæ ſortis viciſſitudine circumſeſſi, ærumnis & ſqualore confecti

miſe-

miſeram, quæ reſtat, vitam continu
imminentis exitij metu abſumunt. (
prodigiū, non victoriam! Maius profe
ctò viribus humanis facinus patraſti, iu
req; in ſummis ponendum, niſi Te au
torem haberet, qui cæteris inſuperabili
Tuā mox ipſe magnitudinem ſuperaſti
Quodſi Principes eo magis quaſi Deori
loco habentur, quò illi magis homine
ſeſe exhibent, inuſitata quædam ac diui
na erit laus humanitatis Tuæ, atq; hau
ſcio cui potiores triumphos in hoc bell
tribuam, Clementiæ de Te? an Tibi d
hoſtibus? Eo loco res erat, vt ſuis de
prehenſus machinis, ſuaq; inter præſi
dia captiuus hoſtis non pugnam, ſe
perfidiæ ac perduellionis pœnam exp
ctaret, iamque poſito faſtu (quando
leones in cauea miteſcunt) contempſiſ
doleret, quem oportebat cauiſſe: agge
res illi & foſſæ non munimenta, ſe
monumenta ſuorum ac tumuli videban
tur; nec deſperatio ipſa & fractis rebu
violentior vltima virtus, quæ ſæpè vi
ctori-

ctoribus palmam extorsit, plus proficiebat, quàm vt pro armis nostris ipsi animos eriperet. Actum omnino erat de tanto exercitu, nisi fuisset apud Te, quæ magnanimum victorem decet, parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Tunc maximè homo esse voluisti, cùm ad Te delata esset dandi auferendiq; vitam Diuina quædam potestas. Et acuere fortasse gladium poterat non modò ipsa victoria, quæ ingenio suo atrox & vindictæ cupida est, sed etiam commilitonũ inhumana cædes nocenti sanguine expianda. Tu nihilominùs, cui nec superbia summam fortunam,

*- - nec polluit vnquam*
*Laurum sæuitia,*

vitam egregijs bellatoribus (nam & hostium fortitudini sua apud Te merces est) donasti. Abolenda scilicet non erat illa vel in hoste virtus, quæ gloriæ Tuæ seges extitisset. Heroum verò, qui ceciderant, pijs Manibus (quandoquidem nullo pari sanguine placari potuissent)

sent) ignoscendo meliùs, quàm sæuiendo litatum est; nec illi necem suam ducere infelicem possunt, si vlli mortalium profuerit ad vitam. Tibi verò tantò gloriosius est, iram pariter & Moschos in potestate habuisse; quantò illis turpius, hoc solo animi impetu superiores fuisse. Vinci enim Te, atq; hoc magis victor es, quód vinci Te crudelitate permisisti, & cum iure belli vitæ necisq; arbiter esses; parricidium confessos absoluisti. magis de victoriæ insolentia, quàm de calamitate hostium triumphans. Ita nouo planè fortitudinis prodigio victoriam de victoria reportasti. Etenim cui nihil ad debellandum vltra Virtus relinquit, hoc vno modo augere victoriam potest, si seipsum vincat, primamq; inter manubias ducat Sæuitiam hostilem. Subegisti, prostrâsti, non vt vrsi solent animos & arma excussisse contêtus sanguini pepercisti. Aspernatus es illorum victorias, qui bello peracto non habent quem in triumpho ducant: ille Tibi
præli-

præliorum exitus placet, cùm non homines ſed hoſtes deſunt: nam hoſtem in amicum beneficio mutas hoc ipſo felicem, quód Tu viceris. Clementiæ illa non Adriani Cæſaris vox fuit, quâ inimicum fortè obuium compellans; Euaſiſti, inquit, factus ſum Imperator: Tu verò, POTENTISSIME REX, qui agere clementer, quam loqui maluiſti, hoc inſuper aſſecutus es, vt etiam hoſtis gaudeat Te viciſſe. Qui enim terrore ipſo exanimabas dum hoſtis eſſes, animas quodammodo & vitâ indulges victor: Non euaſiſſent, niſi á Te victi eſſent. Capitis ergò reos vt è carcere ſic illis è caſtris miſſos feciſti, vt oſtenderes Te de victoria, non de capite cuiuſquam certaſſe: arma ſignaq́ ſua Tibi ſubſternentibus reſtituiſti, ne quid ex victis præter gloriam, ſumeres: in patriam ſecuros remiſiſti, vt Tibi ſeruatos ciues non Tua tantùm Polonia, ſed etiam hoſtilis terra debeat. Ignoſce, REGVM CLEMENTISSIME, nihil hactenus manſuetè præ

hac tanta clementia egisti. Mirati sæpenumerò sumus, cùm Te omnibus parem, imò hoc ipso maiorem omnibus constitueret Tua illa

*- - moribus æquis*
*Inclinans populo Regale Modestia culmen;*
nihil populorum studia, nihil posteritatis admirationem in Te magis conuersurum credebatur. at enim cùm ita propitium, ita beneficum & salutarem Te hostes quoq; *Tui* experiantur, leue iam ducimus, quicquid Principum fauor in amicos maximum potest. Addant Superi vitæ Tuæ illos annos, quos eripi hostibus vetuisti. Interea nos Tibi memorem Tui exercitus plausum dabimus, æternoq; marmori rarum hoc miraculū (SERVATOR HOSTIVM) inscribemus.

## O D E.

*DIscite belligeri non temnere Numina Reges,*
*Reges cruentis fascibus quorum litat*
*Orbis, & egestas quibus atrox Ambitus Vrbes*
*Tellure cadit atq; Neptuno super;*
*Sacrilegis, eheu, non tutò creditur armis,*
*Suis & ipsa Castra Viribus ruunt.*

Quæ

Quæ neq; paciferi Candor metatur Honesti,
Nec Fas Piumq;, rara nec terris Fides,
Sed scelus, & Superis adversi insontibus Enses,
Totisq; retro abominatæ sæculis
Fraudes atq; Doli fatalia sontibus arma,
Et peierati spreta maiestas poli.
Non numero, densisq; virûm secura maniplis
Stant bella campo tuta stat Ducum salus,
Si furor, & iustus violati fœderis vltor
Semper nocentes vrget in præceps Deus.
Periuris nec adhuc funesta in bella ligauit
Impunè quisquam perfidum votis caput:
Mœret enim, positaq; minor ceruice Seinus
Quas peierauit placat infelix cruces,
Bellaq; non faustis iterum pugnata cateruis
Ridentis Orbis fabula ad pedes trahit
VLADISLAE Tuos, victorem & victus adorat,
Mentoq; supplex turpe castigat solum,
Mitior & posito fastu iam scuta reponit,
Et inauspicati perfidum tegmen Ducis,
Sternit humi nitidum gemmis auroq; tiaram,
Et exsecratas damnat infidus tubas,
Tympanaq;, & ventis heu turgida signa secundis
Totumq; Martis robur ad pedes iacit: (miles
Mista equitum ac peditum procumbunt agmina,
Polonus, Io, personat campis, Io.
At sublimis equo facilem sed lenis in hostem
Vultu sereno, qualis inuictus, semel
Cùm leo prostratos iuit super arduus hostes
Sæuire nescit vltor, & cadentibus

Dat veniam servis; talis Rex magne iacentes
Spectas Tyrannos, parcus irarum & necis,
Inter & infestas innubi fronte secures
Interq; toruos ambulas acinaces,
Vindice nec ferro saeuus, medioq; triumpho
Ab insolenti temperas mentem ioco,
Fortunaeq; memor spernis velitare superbo
Calcata curru colla sublimis super,
Nec Tibi magnanimam funesto sanguine laurum
Comes secundis polluit bellis Furor.
Ense triumphatas iterum sine clade cohortes,
Et contumaces tundis aspectu minas,
Ipse repercussis hostis Te concrepat armis,
Credetis & ò posteri? victorem amat,
Miraturq; Patrem, Servatoremq; Scinus,
Scinus, eheu, turpe cui funus domi
Et maestum reduci condis Philarete sepulchrum,
Vltus ruinas orbis & caesas malè
Vrbe super campisq; acies, fusumq; cruorem,
Et expiatam ciuium excidio fidem
Vidimus hibernos Tibi VLADISLAE Triones
Cinxisse septem sponte sideribus caput,
Et iam nixa genu Te Parrhasis Arctos adorat,
Gratisq; captus vinculis Pontus tremit,
Arma triumphatus tibi commodat arma Bootes
Ferroq; iussus condito mitis riget,
Hinc iuga verticibus plaudunt Riphaea supinis,
Submittit altum Taurus hinc Tibi Caput.
O quem Te niueis portabit Gloria bigis
Per inhospitalem Caucasum, vel quae loca-

*Turpe gemens resono fluctu tibi spondet Hydaspes,*
*Per & Gelonûm, perq; Bistonûm domos,*
*Et per Abydenas turres, regnumq; Lycurgi,*
*Nescêre latè victor, & Ponti fragor,*
*Quem neque finitimi perterruit vngula Moschi,*
*Pugnacis aut fraterna Gustaui manus,*
*Barbara nec pubes Scythiæ, nec fortis Abaßi*
*Rhætas per Alpes trux Musurmannûm cohors*
*Nec fera Moldauicis fregit Bellona cateruis,*
*Nec Dacus asper, nec minax tergo Getes.*
*I nunc, & gemino victor procede triumpho,*
*Periura quò te vindicem Cypros vocat;*
*Erubuit Geticis quà iam tibi cladibus Ister*
*Vbi Thracas alto Bosphorus fluctu tegit,*
*Frondet victori lætis vbi collibus Æmus*
*Pronusq; Regem Pindus inuitat iugis,*
*Spondet vbi faciles Rhodope conterminà lauros,*
*Fractamq; damnant lugubres Lunæ fidem;*
*Tinget sacrilegâ Tibi Thrax ceruice mucrones;*
*Secunda raró bella sortitur Scelus.*

# GRATIÆ
## POTENTISSIMO POLONORVM, SVECORVMQ. REGI VLADISLAO IV. PACIFICATORI OPTIMO ET MAXIMO, OB *VNIVERSAM MOSCOVIAM ÆTERNO FÆDERE OBLIGATAM, PACATAMQVE.*

OLim hoc Imperatorum victorijs dabat Antiquitas, vt ijs in auro vel argento, ne fastui pretium abesset, euulgandis, imaginem Pacis effingeret, cuius dextræ oleam Mars inserebat. Permutarent hodie pompam suam verioribus triumphis prisca secula, si Martem Polonum (Te VLADISLAE REX POTENTISSIME totius Europæ phrasi loquor) si hunc Martem, inquam, & belli adoreas & ornamenta pacis manu sua dispensantem vidissent. Non picta hæc aut symbolis & figmentis adumbrata spectauit Orbis, quo primùm di Te, REX AVGVSTE, Moschouitæ Pacifica-

cificatorem ſalutauimus- Numen reuera quoddã præpotens & fabuloſo Marte auguſtius videbaris, cúm & bello tantis illorum populorum motibus conflato moderatus es, & Paci, cúm velles, ſupremus Arbiter præfuiſti Nemo plus, quàm pugnæ primos ingreſſus credebat eſſe, vbi Tu exitum reperiſti: oleam ſané Poloniæ, quam ſperabat, ſed multò quàm ſperaret celeriùs apportaſti. Recantare hic demum cogis terrarum Orbem vniuerſum, qui cum Salluſtio huc uſq; ſenſerat: *Non in eiusdem poteſtate initium belli eſſe, ac finem.* docuiſti primus, Hominem exiſtere poſſe, cuius arbitrio & belli pericula ſubſint, & conſilia pacis; alijs bellá feliciter ſuſcipiendi, Tibi gerendi artem eſſe finiendiq; feliciter oſtendiſti, moras præliorum metuentibus diuturnitatem pacis repræſentaſti; quid multa? ſeculi vnius bellũ anni compendio incluſiſti. Vix ipſi nobis habemus fidem de tanto huius victoriæ curſu, dum hæc memoramus: Non

enim cum sola hominum peruicacia, cum cœlo ipso rerumq; natura luctandum erat. in niuibus atque inter horridas glacies hiberna Tibi descripseras: aeris & elemetorum coniurata intemperies, vt in solo inimico, hostiliter infestabat: vires bellum Turcicum distraxerat, alienissimo tempore, aduersissimis rebus omnibus vtebaris, hoc vnum maximè Tuum habebas, quod militem non mandato in castris, sed exemplo teneres, neque alieno discrimine, sed *Tuis* periculis tutus esses. Hæc aliaque plurimis inaudita, nulli Regum vsitata sic pertulisse, vt priùs Tibi aduersa, quàm Tu illis deesses, tametsi Polonam fortitudinem referat, non tamen ante Te in Polonia visam. Memorabilem Alexander Casimiri Magni filius eximij Ducis laudem meruit, cùm validi exercitus terrore Demetriũ Moschorum Principem tentatam Smolensci obsidionẽ deserere coëgit: haud paulò maior debetur gloria Sigismundo e-

do eius fratri, quod eandem vrbem perfidia ereptam armis repetens Orſenſi clade Moſchorum ingentes copias paruâ manu vinci docuerit, quodq́; proximè abfuerit ab eiuſdem recuperandæ fortuna. denique hos famâ & rerum magnitudine præceſſit SIGISMVNDVS III. Parens Tuus vel hoſtium confeſſione primus, qui vrbem arcemq́; illam vi capere, atque Septemtrionis Domitor audire potuerit, haud parem alium habiturus, niſi genuiſſet. quanquam ſi & ſuperari à ſeipſo quaſi altero velit, à Te iam poteſt. Trium enim fortiſſimorum Regum laudes vnus occupaſti, cùm & obſidionem quauis cogitatâ maiorē ſoluiſti, & arcem vrbemq́; vnà cum hoſte *Tui* iuris feciſti, & pacem æternam perbreui bello inſtauraſti Illis præclarum fuit aut ſexennales inducias cùm inſtructiſſimi exercitus famâ, tum ipſo affinitatis nomine paciſcî: aut ſtragibus editis vitam hoſti, non pertinaciam vel arces obſeſſas eripere; aut biennali mi-

nimùm

nimùm prælio fatigatis aliquid demum extorquere. Te Autumnus obsidionis durissimæ Liberatorem, Hyems victorem legionum hostilium, Ver Pacis auctorem vidit,

*-- primis vt meßibus Æstas*
*Temperiem bello pariter, cæloq; referret.*

Quis hæc tam ampla, tam diuina consequi dicendo possit, quæ Tuo agendo, hoc est, Stylo Tuo, ductis quotidie palmaribus lineis, in Fastos æternitatis retulisti? Ex vsu iam Tibi est gloriose dicta præcurrere, & victorias plures, quàm panegyres possit quispiam cumulare; vt vel recẽtis triumphi semper vetus apud Te laudatio videatur. Quanquam huius gloriæ Tuæ noua semper recens vigebit recordatio, nullaq; tam sera ætas nascetur Orbi, quæ non inuiolatum Pacifici VLADISLAI nomen seculo alteri sit seruatura. Quos enim fœderi Poloniam inter & Moschouiam fines posuisti, famæ gloriæq; Tuæ positos arbitreris. non decebit hanc tantam vtriusq;

popu-

populi fidem & obſeruantiam diutiùs vti beneficio, quàm beneficij meminiſſe. Jſta bonorum Principum conditio eſt, vt dum alienæ proſperitati, ſuæ negligentes, prouident augeant hoc ipſo fortunam, & parta aliorum ſalute ſuam propagent immortalitatem. Dixerit ille: *Pacem & concordiam victis vtilia, victoribus tantùm pulchra eſſe*; Tibi, Regum Optime, qui gloriosè facta non ex vtilitate, aut ſaltem non ex tuâ, æſtimas, quiq; amicos plures quàm regna parare Tibi ſtatuiſti, commodius nihil eſſe poteſt, quàm hoc effeciſſe, vt neq; hoſtes queri audeant niſi de magnitudine Tua, vt armorum ſtrepitus in amoris officia mutetur, vt ſub Regio nomine Parentem colamus vniuerſi. Jam non Te hoſtes olim Tui, ſed pro Te metuunt; nihil diſcriminis pro Tua īcolumitate detrectant, quia vitæ Tibi ſunt ac ſalutis debitores; nec ſuæ illos conditionis pœnitet, cúm eas pacis leges victor ſcripſeris, propter quas vincere ipſi voluerant.

Jta

Ita quod plurima bella non potuissent, vna Regij pectoris moderatio clementiaq; præstitit. Quo turpior Te intuentibus videbitur illorum ignauia, qui citharam meliùs, quàm Rempubl. temperasse memorantur choro, quàm solio, aptiores. Tuam illam probo, REX Optime, Citharam, quà pro tuba in bello, in pace pro Symphonia vteris; hoc est, morum admirabilem suauitatem & cõcentum: hanc nescio an vllus Principum, rectiùs vnquam feliciusq; tractârit: hâc seu feras mansuefacis, seu inertia cantu saxa trahis, Amphionem & Orpheum extra fabulas audimus. Atq; vt in hac Regalis harmoniæ illecebra, cuius prodigioso artificio tam dispares animis populos coniunctos habemus, iam desinat, imò vt Pacem, quam loquitur, imitata nunquam desinat oratio, inhæreamus innocuæ voluptati, & Dithyrambum vtriusq; Gentis promiscua gratulatione decantatum, pace Tua, CLEMENTISSIME PACIFICATOR, audiamus.

DITHY-

# DITHYRAMBVS.

Mosc. PArce magne parce Victor,
Pone tela, differ arma,
Arma Threißis metuenda Lunis
Quæ Musurmannæ melius cohortes
Barbaro pingant tibi mox cruore.
Tandem laurigeris demite aheneos
Thoracas, socij, scutaq; brachijs;
Parũne regnis atque cognato super
Cruentus, eheu, orbe peccauit furor?
Iam decet emeritũ viridi caput impedire
Donec quietis Pax bona postibus (lauro
Suspendit hastas, dum Cererem minax
Proscindit ensis, dum maritas
Scuta domi sociant columbas;
Donec niueis oppida bigis
Pleno diues Copia cornu
Et amica Salus rura reuisit,
Findit belligeris Furor
Dum Pangæa securibus.
Ite bella fæderatos
Queis cruentat Ira campos,
Bella iuratis inimica regnis
Ite discordes procul ite pugnæ;

Tela

*Tela cognatis ſociate telis*
*Pridem Threicij ſobria ſanguinis,*
*Huc ô Sarmaticis iuncta cohortibus*
*Huc ferte ſigna Moſcui, Lechicas vocat*
*Quà ſeruus Iſter dexteras, quà Biſtonũ*
*Indignata iugum Rhodope gemit; Ite mili-*
*Iurate mentes, & citò mutuum (tares*
*Conferte robur dum benè conſono*
*Ferroq; telisq; & recenti*
*Marte calent animisq; dextræ.*
*Cur heu nimium triſtia plangat*
*Helice ſemper funera? cur aut*
*Europa ſuâ pereat dextrâ?*
*Quâ diri melius Getæ*
*Aut atrox Libye cadat.*

# SPEI PVBLICÆ
## *PRÆSAGIVM,*

De ſuſceptæ in Turcas expeditionis euentu.

EXperiri *Te* Virtus, an Tu Virtutem debebas, VICTOR MAGNANIME, quò, collectis in minore quaſi theatro laureis. è pugna Moſchouitica ad ingentes deBarbaria triumphos animoſius, properares? habes ad bella expeditũ per victorias iter, neq; exitus quiſquam meliores, quàm Tu belli Turcici rudimenta, Stringe non bene abſterſum adhuc mucronem (quando feriari Herculem monſtra non ſinunt) vireſq; recollige; grande iugulum eſt, quod petis. Aſiæ totius robur in campum effunditur haud ignobili contentum ſeu victoriâ, ſeu victore. Age, Fataq; imple bono ſeculi huius electe REX VLADISLAE. maius aliquid à Te Sarmatia expectat, quàm ipſa dederit: nam & ipſa minor eſt, quàm pro tam capaci animo. Tutellam Chriſtiani Orbis ad Te delatam puta, dum barbaræ huic Lunæ oppone-

poneris: illius cladibus iſta creuit, nec aliunde hiantem illam voraginem etiamnum explere ſolet. I, repete hauſtas terras, quære in ſacrilegis viſceribus tuum ſanguiné, aut *Tuorũ*. VLADISLAI nomé fatale Turcis vel affer vel effice, ſemel Regnum barbara vicinitate, metu Europam libera. Omen belli ne longe quæras: in manu Tua eſt. grauis hæc iam Oſmano fuit, exploret Amurathes, an à ſceptro pondus acceperat? Pro lauru fatidica habe illa arma, quæ ad pedes Tuos nuper abiecta vidiſti: certioris profectò ſunt ominis, quàm laurus illæ, quæ ad pedes Cæſareæ ſtatuæ non tam reor, in Victoriæ templo quàm ingenijs Hiſtoricorum excreuit. Auguſto pacandi Orbis auſpicium fuerunt columbæ, inter horrendas Martij ſcuti cælaturas nidum ponere auſæ: ſit Tibi Tua Clementia in medio bellico æſtu Regalis animi dominatrix. hoc ſemper ingenio fuêre, quibus ante Te Orbis Terrarum non inuitus paruit. Et iam

ſua

ſua quoq; Perfidia hoſti exitium porten-
dit, Tibi Victoriam Tua Fides Fæduſque.
Bona victoriæ pars eſt, cauſa viciſſe.
Fidem ſeruat Amurathi perfido VLA-
DISLAVS, vt permutata veteri ſorte pro
Vladislao cadat Amurathes. Ita
Faxit Gladivs Domini, Et
Vladislai.

THE-

# THEATRVM
## GLORIÆ

POTENTISSIMO ATQVE INVICTISSIMO POLONIÆ AC SVECIÆ REGI.

# VLADISLAO
## QVARTO.

# AB

*ALMA ACADEMIA VILNENSI Societatis IESV extructum & Consecratum.*

*Anno M. D C. XXXVI.*

# DEDICATIO

ORnaſti Patriam pulcherrimis, RE Inuictiſsime, Triumphis; Populos di uturno bellorum pondere fatigatos, opta tâ pace; Orbem iucundo magnarum re rum Praclare geſtarum ſpectaculo; Te ipſum immortali & admirandâ nomin gloriâ; Academiam nuper Vilnenſem T Regiâ & auguſtiſsimâ præſentiâ. Acade mia tanti memor beneficij, Tuisq; addicti obſequiis, exiguo hoc Panegyrico viciſsim TE, quem ſuum Protectorem amat, Re gem veneratur, Orbi vniuerſo Victorem Patriæ Seruatorem, Populis Pacificato rem, Tibi offert; non penicillo, ſed ingenio non Opificis, ſed Eloquentiæ celte efforma tum. Non aliud munus Tibi afferre potu it, nec debuit: Nam Teipſo nihil reperi præſtantius, Populis acceptius, Patri gratius, Orbis memoriâ dignius. Tu Te ipſum, REX Inuictiſsime, majoribus pau liſper curis ereptum, Tibi accomoda, & Teipſum hic oculis contemplare, ſed ſimul Acade miam, ſtudiorum Altricem, quâ ſoles, Regia hu manitate, fauore, clementiâ.

PANE-

# PANEGYRICVS

IN tam alto Pacis sinu, cogitare de Te non possumus. VLADISLAE Rex Inuictissime, quin simul menti sese offerant vniuersæ rerum à Te præclare gestarum imagines, & Te in memoriâ nostrâ comitentur. Nemo formam Tuam venerabilem, Fortunæq; parem suspicit; nemo corporis speciem, dignum Regali animo hospitium admiratur; aut illustres præsentis felicitatis euentus vestigat, vt in eis solis sese mens librare, ac suspensa hærere possit. Augustus ipse vultus, manus militares, pectus imperterritum, rapit attonitam retrò cogitationem, & per pulcherrima laudum *Tuarum* ducit vestigia. Occurrunt hostes bello fusi, datæ Barbaris leges, impositum victis iugum, fines Regni promoti. Meritò Hercules nostræ ætatis vocaris fortissimus, quòd non tantùm magna agas, sed etiam, in plenam *Tuorum* rectè factorum admirationem, aureâ & immortali catenâ trahas non inuitos.

Noua licet semper edas, quæ miremur, retorquemus tamen in priora oculos, quasi tunc sub manu nascerentur. Po- strema cogituros, ita collecta omnium operum turba pulchris erroribus impli- cat, & in difficultatem seligendi, tan- quam in Labyrinthæos anfractus conij- cit, vt ijs sese nemo expedire possit, nisi Orbis totius iuditio, velut Ariadnæ filo nitatur. Effecisti itaq; vt cùm recorda- tione Tui, contra ingrati animi insidias pietas sese instaurat, ne breuem quidem iam de Te cogitationem quisquam ha- bere, aut prolixa facta in compendium reminiscentis animi stringere possit No- uo iam miraculo, plus calamo Picto- rum, quam Menti humanæ licet: quòd ille Orbem terrarum exiguo linearum ductu circumscribat, nulla veri iniuriâ aliquâ molis: hæc res à Te gestas in sum- mam cogere nequeat, nisi & magnitu- dinem attenuet, & minuat veritatem, vt facilè aduertamus immensum hunc Naturæ ambitum, nomine Tuo mino-
rem

rē esse. Quamobrē dabis mih veniam, Rex Inuictissime, si me, dum Præsentem Poloniæ ac Lithuaniæ tranquillitatem, Tuâ fortitudine partam mirari vellem, memoria in antecessum reiecit. Non potui in limine maximæ huius gloriæ animum figere, priusquàm per heroica priorum annorum facinora, veluti per gradus ascenderem. Tantum enim est hoc opus, vt peragi ab eo solo potuerit, qui in ceruicibus potentissimorum *Tyrannorum* iam antea triumphauit. Verebar præterea, ne Patria quereretur, repentè me ad intima Pacis prouolasse, crescentibus per bella limitibus non inspectis. Intelligo itaque, quàm arduam humerisq; imparem Prouinciam susceperim. Nam cùm tam egregia roboris inuicti monumenta nulli omninò, quātum ad stuporem satis est, spectare fas sit; oculi omnibus Imperii *Tui* annis, operumq; luci non sufficiunt: Multaq; à me prætermitti necesse erit, dum conniuebo interdum, nimioq; splendore

 perstri-

perstrictus, debilem, sed sicquoque vulnerabundam, videndi aciem submissam. Quod enim è publico Orbis terrarum Comitio ingenium seligi posset designarique, quod singularem *Tuam* fortitudinem, quâ Hostes domuisti, nó dissereret modò eruditè, sed placidè intueretur? Et vt ab ipso Regni *Tui* exordio, Orationis meæ ducam initium; cuius eloquentia delibaret illum insignem Patriæ amorem, qui *Te* recens inauguratum Regem è Solio in Castra rapuit? solicitam ciuium curam, quæ è Sereno in immanem Belli Moschouitici transtulit tempestatem? præclaram militaris artis peritiam, cui quicquid diuturnus opposuit labor, leue fuit, nec ad sensum ferè virium peruenit? Hoc *Tuæ* virtuti irritamentum, potens omnium rerum moderator & Auctor Deus prouidit pulcherrimum, vt ibi Securitatis Fortunæque *Tuæ* fundamenta iaceres prima, vbi Perfidia tempus locumq; pugnæ præripiens, plus se valituram præsum-

ſumpſerat. Diſcere ſcilicet debuerunt omnes in ipſo regnandi limine, eam eſſe Potentiæ Tuæ vim, quæ bellicos apparatus pertinaci ſtudio, impendijsque quæſitos, ſubito diſijcere poſſit incurſu, & æterna conſilia momento euertere. Quid profuit multorum annorum pacem in bello fabricando poſuiſſe? valentes populos immenſis inuitaſſe ſtipendijs? ne contraherent indigenæ crudelitatis veternum, & furendi languorem, iram manusq́; exercuiſſe? quid clandeſtinas tantâ celeritate vires, extra ſuarum fines Prouinciarum, ſub principem Seueriæ arcem exportaſſe? quid habuêre firmitatis, longè ante foſſæ apertæ, cuniculi furtim ducti, propugnacula vndique erecta, montes caſtris inſtrati, viæ denſis cratibus ſeptisq́; impeditæ, cohortes quædam obſidioni affixæ, quædam populationi prædisque deuotæ? Tam portentoſa enim humanæ ſolertiæ inuenta, vno propè intuitu ita diſſipaſti, vt palam iam conſtet, cùm

 aliquid

aliquid aggrederis, gladium à Te sæpius stringi non debere. In vno ictu tantum ponis virium, quantum sufficit ad terrorem, & victoriam. Vulgò iam iactatur, ambigua bellorum in Te non cadere, neque vlli relinqui Martem communem, cùm prodis in aciem. Nam quis aliqua fortitudinis nomina in suis partibus esse credat, qui præsens Tuæ potestatis fulmen cogitat? aut quis de certaminis euentu dubitet, qui Te sequitur? Nemo infesta prodigia, occursus mali præsagos, omina infelicia, fletus simulachrorum. Tecum obseruat. Auspicium fortunatissimum est Te videre Imperatorem. Solus Tuæ fiduciæ conspectus, mirâ arte quâdam, certam suis spem dispensat animosque: Aduersarijs metum, vitæ pericula, fugam ostendit, quanquam ne hanc quidem auderent sperare, nisi Te cogitarent. Sciunt nempe in Tuis votis nullum sanguinem esse nisi rebellem, darique spatium saluti quærendæ. Hanc clementiæ ansam ma-

sè arripuerunt, quotquot non tam sibi obsidebant Smolenscũ, quàm Tibi seruabant. Electi enim omnis propugnaculis, ad Schinum nefariæ factionis. Signiferum se receperunt, ignari, obstinatione eius, se citiùs perituros. Nam cùm parcere velles, contumatia tolerandæ obsidionis famisq; Tibi militauit; elementis Tecum conspirantibus, vt negarent illis commeatum, & opportuna corporum subsidia, qui Tuis legibus viuere nollent. cùm nihilominùs seruari optarent, neque cum cœlo transigere, Te inuito, possent, Tuis accidêre supplices genibus; vt ibi auram vitalem rursus securè traherent, vbi Clementia & Humanitas excubat. Plus hîc præsidij repererunt & spei, quàm in arcanis terræ latebris, quibus corpora infoderant; aut altis terræ aggestæ montibus, quibus, contra Tuas excubias, nihil erat præsidij, plurimùm ad libertatem recipiendam impedimenti. Quid hic ego commemorem insolitam Moscouiæ vniuersæ lætitiam, cui

 ciues

ciues remisisti liberos; sed iam doctos, polluti fœderis religionem solo perduellium sanguine elui, nisi Victoris indulgentia lachrymas malit? quid acclamationes abeuntium, vota pro Tuâ salute, gratulationes Victoriæ, quam in Tuis manibus stupere maluerunt, quam suis periclitari? quid cohortes Nationum plurimas, quarum plæræq; testes benignitatis Tuæ ad Barbaros iter direxêre: nonnullæ per varias suæ Patriæ vrbes dispersæ sunt, vt vbique virtutis præcones haberes? quid ipsum Belli motorem Sehinum, quem eiectum finibus, è viuis expellendum misisti, ne vel sepulchro Tuas terras funestaret, vel sumendi obsequium supplicij deesset Duci, ad seruitutis ac pœnitentiæ testimonium? quid æreas balistas magnitudinis inusitatæ, cæteramq; belli supellectilem referam, quæ non ad miraculum tantùm opum, sed etiam ad maius dimicandi robur accessit? O Præpotens Polonia ac Lithuania! quid potius in hac tuâ feliciici-

licitate miraberis? Fortunamnè Regis Potentissimi, qui suas curas, vigilias, sudores tibi ornandæ impendit, vlteriori procursu Victoriam prosecutus est, tentamentis belli pacem extorsit? an limites Regni latè protrusos, perennique securitate stabilitos? Fuerit id sane antehac solenne, Terminos erigere, & stantibus prouincias discernere columnis: maius est, publicum extorquere Sacramentum; & non ab Artifice metas, sed ab ore manuque in fidem coëunte, iuratam terrarum accipere quietem. Quam gratiam non iam pro laboribus tantùm, sed pro liberalitate quoq; eximiâ Tuo Principi referes, qui tam multa eripuit, vt postquam amplissimos Regionum tractus Tibi adiecisset, superesset, quod Hosti tribueret? Sic quoque in te profusus, cùm titulum electi Magni Moschouiæ Ducis publicæ paci donauit. Macte hâc Tuâ munificentiâ, Rex Inuictissime, quâ sceptrum Moscouiæ posuisti, vt accederet Tuo Maiestas.

proiecisti Michaëli, ne ãplius laruã, imaginemque Principis velut in scenâ ostentaret. A Te habet, quo se Magnum videt; non habiturus, nisi Tu exuisses, vt Maximum nomini Tuo indueres. Tuum est, eò vsque victoriæ amplitudiné proferre, vt nouo exemplo, Magnos facias, quos vincis. quanquam sub hoc quoque titulo paruus est, quo eum velut stigmate ad obsequia iussisti. In vocabulo solo gerit magnitudinem. Nam cùm ei tres Seueriæ prouincias deripuisti, Verba vidêris dedisse Magnifica, vt ab ore Tuo Magnus inter suos iret, qué manu feceras capitis minorem. Sed tot tantaque satis est perstringi, quòd & à multis iam prolixè sæpiús dicta sint, & pro dignitate explicari plenè non possint. Reuocat me á domito Septemtrione Oriens ingenti populorum multitudine superbus, qui cùm suis diffideret viribus grauissimo bello aliud superiecit, vt distracta potentia nullibi te totum haberet. Suæ tamen temeritatis conuictus
est,

est, postquam animaduertit, tantum Tibi adfuisse animi, vt integer vbique esses; & alibi quidem auspicijs hostem detineres, alibi perficeres Victoriam. Quemadmodum enim, qui priores inimicitias fœdere leui componunt, vt imminenti occurant periculo, hostem mutant, non afferunt tranquillitatem: ita vincere vnum, vt formidini sis alteri, non exiguum est venientis triumphi argumentum. Modum itaque vincendi mutasti, & tantundem Te posse, ne stricto quidem mucrone, ostendisti. Ad gloriam enim nominis Tui pertinebat, eum sine conflictu vincere, cui dum amplissima Imperia colluctarentur, illigata armis, prostrataque, nec dum se erigere possunt. Timebat quoque Amurathes, ne, si in certamen brachia laxaret, Constantinopolis complexu excideret. Iam enim didicit pugnandi voluntatem apud Te pro Victoriæ pignore esse. Quanquam ne sic quidem robustus iam validusq; fuit. Terror quippe sic

pe sic manus religauerat, rigoremq; induxerat neruis, vt, ad aduentûs Tui famam, Valachiam Tuis submiserit suffragijs, nec ampliús infames Europæ prædones in vicinis retinere lustris potuerit. Audiuisti, cùm supplex in ipsius Regni aditu hærens oraret armorum quietem: quasi idcircò tanto impendio bellum mari. terràq; vexisset, vt pacem tot Gentium manibus ad petendum compositis, impetraret. Dimissus inde, limitibus non transcensis, in Thraciam excessit; veritus, ne, si auram Sarmaticam perfido ore semel duceret, præstricto collo eam in barbaro cælo expirare non posset, & thronum successione fatigaret. Exemplum prouide fugit in Osmano, quem Tuâ egregiâ fortitudine, ita turpem suis in solio ostendisti, vt seruili ausu, ei liberam Imperij coronam demendam iudicarent. In fatis iam esse videtur, ne vllus, qui armatam contra Te erexit manum, sceptra tractare póssit, nisi quæ dederis, aut conserua-

seruaueris. Semel ergo illam mouit, vt Abaſſium perfidiæ totius Ducem Tibi victimam poneret, & facem belli ſanguine Auctoris extingueret: ſic etiam memor Caracaſſij Baſſæ, quem, quia cibum ſibi quondam interdixerat in Caſtris ſuis, in Tuis promiſerat, voti reum ad inferos damnaſti. Id enim verò ad laudis Tuæ incrementum ſpectat, quòd hoſtem ita timoris contagione occupes, vt nihil illi relinquas iræ, aut audaciæ, niſi quantū ad pœnam infligendam ſatis eſt. Quidni igitur liberum ei receſſum concederes, qui precibus ſuis hoſtile caput adiunxit, ac veluti annumerauit, vt non tam ſupplicium, quàm vectigalis penſio eſſe putaretur. Jnuênit nouus, ſed melior, Caligula vnicum iugulum, in quo veſanos Orientis ſui totius furores eliderer, aut ſalutem conſeruaret. Eant nunc Decij, egregij illi Patriæ amatores, quorum Spiritu inter infeſtas acies poſito ſpirauit Roma, & morte vixit. Jta illi Reipublicæ eme-

bant vitam, cùm suam hosti offerrent: laudabiliter quidem sed temerè: non sine pietate, sed cum superstitione. Tutius excogitauit Amurathes Imperij sui præsidium, cùm ceruicem prædonis potentissimi laqueis obiecit strangulandam; ne halitus pestifer libero aëris spatio exceptus pari lue quempiam inficeret. Jtaque Thracia meliùs suis animis viuit, peritura si alieno impetu sua corpora diutius agitari permisisset. Quám veró non pœniteat suæ vltionis Amurathem, testis est ille anxius labor in omni compescendo tumultu, quo Tuam potentiam rursus excitaret: illa Scytharum ex finitimis campis depulsio, ne si latrocinia per Te coërcerentur, clades se se Byzantio infunderet, & vastitas latè grassaretur: illæ peruigiles excubiæ, nostræ quieti attentæ. Nemo Poëtarum muta pulchriùs Silentia in atrijs iacentis Somni locat. fingitque leuibus pennis laborare; ne truces venti tumultuentur, mobilium error foliorum

strepat,

ſtrepat, alitum lætitia murmuret, clament aquarum littora, cœli fragor audiatur. Non Mercurius aureâ virgâ blandiùs centum Argi oculos componit, aut ſopit Iouis fulmina. In hoc autem cura eius amplior emicat, quòd aureis rebelles blandimentis, ferro in quiete contineat; nihilque magis habeat in deſiderio, quàm vt Polonia ſuâ tranquillitate fruatur. Quid ſibi voluit illud celebre, viuumq́; munus, Magno Poloni Exercitûs Duci nuper tranſmiſſum, captiui inquam tres & ſeptuaginta? Cur è medio Reipublicæ ſuæ gremio illos eduxit, niſi vt eſſent teſtes ſecuritatis, pacis quaſitæ interpretes, fidei obſides? Quid additæ preces, vt Tibi Auctor ſit fœderis ſeruandi, & mutuæ quietis fouendæ? Ad tam inuſitatam prouidentiæ rationé, Tua illum compulit gloria & virtus. Non ſatis exiſtimat, ſemel ad veniam exorandam procidiſſe: prenſat adhuc identidem: patronos, cuſtodesque iuris obijcit. Ex

his

his nemo dubitat, quam, collatâ acie, Tuæ reuerentiã fortitudinis habiturus fuisset, qui verum iam formauit iudicium, quòd Orientem lacessere intrepidé possis. Talibus Te boni publici curis intentum, sperati in Prussiam auerterunt motus eorum, qui alienas rapinas suis optabant tueri successibus, De quo mihi dicendum esse video copiosiùs, ne, si recentem felicitatis actum cursim transirem, malè affectibus humanis consulerem: quorum noua ex prosperis rebus lætitia, ipsâ etiam loquacitate se commendat. Sed nec rei quidem magnitudo paucis dici potest. Quantum enim est eos vincere, quibus politi mores, ingenium sagacius, bellandi ratio non in pereundi insaniam præceps, sed ad prudentiæ artisq; bellicæ præscriptum concinnata? quanti existimandi sunt, qui se instructissimis claudere mœnibus, arcibus valloq; obstruere poterant? & hoc vnum longus induciarum labor agebat. Accedebat proposito, quo bellum

lum pati destinauerant, fiducia propinqui maris & opportuni portus; è quibus necessitati præsenti submitterent subsidia, & bellandi sitim aquis accenderent. Nam cùm didicissent ex ijs, quæ gessisti, nullas dari substructiones, aut occulta terræ diuerticula, quibus *Tuam* industriam immittere non posses: classem in promptu habuerunt, quâ sedem belli ad libitum in Liuoniam, aut Prussiam facilé veherent; &, prout vices ferrent, vires animosq; dispensarent. Et prouiderint illi sanè sibi hanc tutelam distribuendi Exercitûs; vbique premi, nullibi premere potuissent: & vtrobique ad Tuam vim fuisset respectandũ. Eum enim *Te* esse iam orbis proclamauit, qui vbi non es, auspiciis magnifica gerere, & fortunam in alienis manibus librare tutò queas. quanquam difficile est, Te non esse alicubi suspicari; præsertim, cùm tantâ celeritate rebus profligatis adsis, dubiisq; accurras, vt ne ruinam quidem timeant, quæ iam inclinata nutant,

tant,

tant, aut pericula in periculis æſtiment. Oſtendiſſes igitur Hoſtibus, quid in hoc conſilio concordi eſſet diſcordiarum: & patiendi contumaciã ibi haberi non potuiſſe, vbi diuiſis in vtramque prouinciam cohortibus, ſed integro & locis non diſſociato roboris Tui conatu inſtares. Regnis maria interfunduntur: Tuam fortitudinem immenſi aquarum ſinus non intercipiunt. Alpibus præruptîs dirimuntur Imperia: Tua auſpicia nullo oppoſitu fatigantur. Frangis Aquilonum flatus denſa nemorum aſperitas: Tua arma ab erectis molibus non accipiunt moram. Cur enim littora nauibus, Vrbes milite inſederas, niſi vt inuaderes opperientes, obnitentes vrgeres, fugientes ſequereris, & in procinctu haberes, quo promoueres conſilia? Quæ porrò tunc maris fuiſſet tranquillitas? quàm amici coniuratiq; in quietem venti, quis præſagio præueniat, aut explicet ſatis? Hæredem agnouiſſent ſuum benigni fluctus; qui

cùm

cùm toties tempestatibus excitatis rebelles hauserunt, pondus iniuriæ sustinere non potuisse videbantur. Spectassemus nos quoq; elementa Tuis successibus militare. Quos ignis puluere nitrato vreret, terra expelleret fossis, aër peste vitiaret, maria auidis gurgitibus absorbuissent, & dulcem Regnorum sitim amaris vorticibus restinxissent. Tanto enim apparatu in afflictam idcircò venisti prouinciam, vt ad hæc omnia cogeres Naturam, quam Tuis seruire consiliis docuisti, & propè confudisti cum Fortuna. Quid non pollicebâre Tibi de nauibus egregiè instructis? quid de milite copioso, quem non minùs dexteritate certandi, quàm vincendi certitudine imbueras? quid de Ducibus fortissimis, longâ pugnandi consuetudiue exercitatis? In omnibus insolita quædam erat alacritas, vt causam publicam manu agerent, & tantum viribus aggrederentur, quantum auderes imperio. Et hæc erat *Tua* admirabilis prudentia,

quòd

quòd ita commodè bellum instrueres; quasi defuisset ille felicitatis promouendæ modus, quo vicisti. Præclarum enim est, & insigne prouidæ mentis indicium, varias vincendi in expedito habere rationes, & velut adstantia cum tabulis Fata, quod Ioui Antiquitas dedit, intueri. Laudamus gladiatorem, qui in arenâ capit consilium: celebremus quoq; necesse est Principem, qui diuersis occasionibus pacem, aut arma offerre potest. Talem Te igitur Hostes videbant, qualem quondam Fabium Hannibal. Copiis enim valentissimis armatus, de sublimi velut nubes impendebas: quæ non tantùm serenum promittere, verùm etiam furere procellis, fulminibus sæuire, permiscere omnia potest. Illud verò, quantùm prudentiæ arcanum est, quòd vt hostibus partes subtraheres, nullos esse voluisti, qui neutrius essent? Indicijs Tuæ humanitatis inuitati, & illecti fortitudine, belli Societatem admiserunt, vt agnosceres, nunquam Tuos non

fuisse,

fuiſſe, qui in incertũ ſpes ſuas proijcere, & ad extemporalia obſequia, lætitiamq; ſubuentaneam, quam fortuita inflaret felicitas, affectus ſeruare noluerunt. Quid amplius ad fidei commendationẽ adijci potuit, quàm ſua latera omnibus euentibus excipiendis deuota oſtendere, & pectora tam fida, vt reſerari ferro optarent, ne lateret ſinceritas? Firmiorem illam ſemper exiſtimauerunt eſſe beneuolentiam, quæ periculis ſe miſcet, & obſeruantiam ex lege veræ amicitiæ, vtriusque fortunæ iactui ſubijcit. Acceſſionem ergo factam, ad virtutem Tuam refero. Quam hoſtes præueniunt fœderibus, & ſubiectione anteuertunt: cur Tuæ Prouinciæ ſpontaneo occurſu non occuparent? Illa, illa, dubiæ lucis conſilia illuſtrauit: illa animos attraxit & gladios: illa ad egregia pro *Te* vulnera excitauit, tantumq; conceſſit audaciæ, vt expeditas in hoſtem manus erigerent. Vos tamen ego hic non præteribo, Gedanenſes, non tam portu & mercium

cium diuitijs, quàm fide Orbi noti. Vos enim, neque calamitates grauesq; Ciuitatum ruinæ fregerunt: nec permissio mendacis libertatis blando vnquam illexit lenocinio. Vobis ardentium fumus vicorum, & densa volantium globorum nubes, clarissimam Poloniam non abscondit. Noluistis tot vestra in Rempublicam merita, ancipiti successus expectatione corrumpere. Versabatur ob oculos vestros Saguntus, quæ pulchriùs fide & sociali reuerentiâ cecidit, quàm proditione stetisset. Et verò viris indignum fuisse vidistis facinus, pectora & manus ad otium armorum damnare. Merito itaq; vos, & præsens Poloniæ stupuit felicitas, & memores laudabunt posteri. Erit hoc admirationi, fuisse Vrbem, quæ ingentibus belli sumptibus opinionem honestatis aluit, & Sueciæ totius vires, tanquam minas, lusit. Vobis debent suæ constantiæ laudẽ, cæteræ non infimæ Ciuitates, quæ vestro exemplo, periculis gloriam prætulerunt,

runt. Fortis itaque Rex Inuictissime, fuisti, Prouinciarum fidelitate, Regni viribus, Tuæ industriæ fortitudinisque impensis. In promptu habebas arma, animos, & consilia. Ceperas præterea omnium propensionem, vt sub alienis præsidiis iam Tui essent. Te vnum desiderijs prospectabant assiduis, inuitabant Votis, Tuam incolumitatem ad hostiles aras commendabant, suam ominabantur libertatem. gaudebant, tacitâ per præcordia serpente hilaritate, incidisse in tam strenuum Principem, cuius Virtus captiuos spe libertatis certâ recrearet. Atque hæc est summa Tuorum successuum gloria, quód militariū Tuorum decorum cogitatione seruitus spe[ct]et, ærumnæ ad solatia assurgant. Hostes proinde corpora sibi tuebantur, Tu animos habuisti. Illi cadaueribus viuis præerant, Tu potissimam Naturæ prudentis arcem, & humani generis propugnacula occupaueras, quibus quemadmodum homines, ita alicuius sumus.

Quid

Quid igitur tã admirabili omniũ pæparatione non cõfecisses? quid procursui armorũ obiecisset morã? & tamẽ cõsilio ferrũ tenuisti, ne, si in hostes illud stringeres, Tuorũ oculi perstringerẽtur. Inducijs tempus designasti, vt maturè prospicerent, quomodo subijci vellent: mutua dicẽdi cõmercia concessisti, vt quid pertimescere, amareque possent, in vultibus militaribus legerent. Adeò cõmunis vtilitatis publica Te ceperat æstimatio, vt, dum manus armares, cũ clementiâ loquereris. Quænam altior præsens Maiestas Tibi adeò amicam fecit sanguinis parsimoniam, vt tot annorum iniuriæ, direptiones Regnorum, prouinciarum expilationes, minùs valuerint ad vindictam cogitandam? quis hic modus Victoriæ est, vt ne palmam quidem de vllo obtentam probes, quam iustæ iræ moderatione priùs de Te non pariueris? Est profectò vis Tua in quodam Diuinæ potestatis confinio, quæ fulmen quidem semper accensum gerit, sæpius

tamen

tamen commiſeratione mulcet. Jlla Tibi addidit mentem, ne quenquam perdere velles, niſi qui ſponte gladiis Tuis incurrere mallet. Crediderim ſic quoque cædem a ſupplicij nomine vix poſſe excipi, cùm inſanæ Furiæ perfida corpora in mites impellunt manus, vt nefarias animas in publîco Iuſtitiæ campo exſpirent. At Tu Regalem auctoritatem ita humanitate ſemper exornas, vt vitam nemo deſperet, niſi qui Beneuolentiam ſolio adſtantem aſpicere nolit. Ferrum quoque non idcircò acutum geris, vt inimicitias punias ſemper, ſed vt reſeces obſtacula, quibus à Tuo acceſſu ciues arceantur. Quid non agis? quæ impedimenta non inuadis, vt aditum præpares? Obijciuntur excurrentis in altum valli portenta: diſijcis. Opponuntur profundæ foſſæ: complanas. Latebræ in imo terræ extruuntur: fame inuiſas reddis. tormentis bellicis atque omni fulminum genere fiducia obtenditur: adimis. Mars ac imminens belli

ruina intercipitur disputationibus: conuincis tanto denique omnia temperamento aggrederis, vt non inuasisse: tanta vi, vt expugnasse videaris. Sibi imputent, qui aliquando periêre, dum manum suam pro Deo haberent, pedum Tuorum obliti. Ibi, quos, Æquitas subijcit, excipit Salus. Libentius tamen ad manum admittis, vt in eâ spectent liberalitatem, & è vicino, testimonium pacis in ferro legant. Laudabit posteritas hanc belli gerendi rationem, quâ sic vteris, vt, dum corporibus minaris tela, animos debelles Mirabitur tantum Te potuisse sine prælio, quantum bello præstantissimi Imperatores non effecerunt: & in quietas quoque manus influxisse Victoriam. Tua repetijsti nondum educto gladio; & iuris, rationũ que præmisisti conflictũ ante strepitũ armorũ. Quantus igitur es, qui iratis ostendisti, vinci illos posse? Lucidã fuisse necesse est, & multo splendore conspicuam veri æquiq;opinioné, quæ auersos oculos perstrinxit.

ſtrinxit. Laborent alij in parando exercitu, exuvijs ferarum terreant, inſidias & ſtratagemata meditentur, hoſtilem inclinent aciem, graſſentur in caſtris: Tu nobiliùs proſecutus es ſucceſſum, quando ante pugnam, veluti præſentem monſtraſti victoriam. Habent hoc bella, vt ancipiti ſuſpenſos teneant ex tu: at in Tuarum virium æſtimatione triumphum iam intelligere licuit. Deieciſti antea hoſtes arcibus, cum milites in cæde exerceres: poſtea Barbaros ſine bello, terrore ſolo nominis, in Tuas leges compuliſti: nunc demum, quia cum prudentioribus res erat, Victoriæ in manibus Tuorum viuentis commonſtratione ſuperaſti. Quid hac re poteſt eſſe amplius ad magnitudinem, aut fingi auguſtius ad celebritatem? Quis ita per incrementa ſuam proſperitatem duxit, vt quãdoque fauſtis viciſſitudinem non interponeret, læta non infringeret mœrore, famam non attenuaret decrementis? Fuerunt, quorum fortuna ſubitò

ad altissima prosilijt: tandem pedetentim, successibus imminutis, in exitium descendit: Nonnulli, vt gradatim in dignitates irreperent, suspensi interdum hærebant, & expectatione ludebantur: plerique magnas felicitates dubijs sustinebant progressibus. Tu quia ductum Fortunæ, Virtuti credidisti, ne procedere quidem pari potes passu, quin Tuos labores excipiat altius fastigium & accessio. Fluminum hic mos est, dum Caput aquæ è proximo hauriunt, ripis alligari: mox aliarum illapsu vndarum, metas in latum extendere: tandem terra occultas euergente scaturigines, liquante Sòle niues, pluente cælo, per plana excurrere, inuoluere vorticibus syluas, montes inscendere. At maius etiam aliquid fecisti. Nam fluuium quemlibet exsorbet vnum pelagus: Tu fortitudinem duobus iam, Ponto Euxino & Balthico ita infudisti, vt infractis gloria fluctibus, inde Thracum mænibus, hinc Insulis & portubus Sueticis terro-

rem illiſeris. Armati proinde exercitus, qui paulo ante magnarum ſæpe Vrbium in Germania victores, Gotticam violentiam in memoriam reuocabant; meritò ſtupebant ſolâ Tui conſideratione palmas ſibi in manibus infringi. Atque idcircò ſileat iam fulminatrix illa Periclis eloquentia, quâ tantum valuit in omnes partes verſando Thucydidem, vt proſtratus luctando, perſuaderet ſe non cecidiſſe, in eamq; ſententiam Auditores traduceret. Maius enim Tuæ dominantis potentiæ eſt Imperium, quo non tantùm hoſtes, ſi cominùs ſe opponere audeant, proruis, ſed etiam eminùs clarè perſpicueq; illuſtras, proſperitatem Tibi deberi. In Te didicimus primùm, non ſolius id Naturæ opus eſſe, lineas quaſdam rerum magnarum indices manibus inſcribere, quas ſæpé vana præſagijs impedit religio. Tuæ lineamenta fauſtitatis dextera Tua circumfert, lacerti militum oſtentant, hoſtilia vulnera loquuntur, quaſi gladijs ad hoc

operirentur. Nemo iam astris regit pugnas, aut auspicia bellis præmittit, ne suam ipse iudiciis cæli mendacijs confundat de Te sententiam. Si tamen alicui nimis adhuc arrident veteres sua fata noscendi argutiæ, prudenter ego huic opposuero, aut Turcicam Lunam bis iam ad Tuum conspectum in deliquium lucis lapsam, aut Moscouiticam Aquilam Sarmaticæ succumbentem. Ex his ille satis superque stabilem colliget notitiam, quantum suis viribus fidere, Tuis cedere debeat, discet tutius esse, præripere è sinu tuo salutem, per legitima pacis obsequia, quàm armis experimentum quærere. Crediderim *Suecis* quoque, dum arma prima appararent, non temerè gemina hæc fortitudinis Tuæ prodigia occurrisse: atque idcircò eò faciliùs ad deditionem Vrbium prolapsos, quó difficiliùs antea se gerebant. Tuam Tibi reposuerunt Prussiam, maris ostia aperuerunt, reddiderunt arces, Vrbesq;. Pulcherrimum erat spectare

inco-

incolas longâ captiuitate ſqualidos, hilaritatem tantam cultu præferre, quanta diuturnum mærorem delere potuit etiam vnica. Sereno omnes occurrerunt vultu & Tuis victorijs concolori. *Sola* inconſulta priuati boni cura vultum demiſſum pedibus affudit; ſic quoque læta, quòd in Tuam Clementiam inciderit. Vidimus tunc Mariæburgum, opus illud Religioſarum manuum immortale, libertatis reditu recreatum: Elbingam ex præſcripto miſericordiæ de genu hilarem; Braunsbergam, Pruthenas illas Athenas, & inclytam literarum ſedem geſtientem. Viſtula quoque ripis, quas antea ſeruitutis impatiens exierat, ſtrageq; in vicina furebat, incluſit ſeſe, & omnem aquarum vim, quàſi fortiùs Te admiraturus, in alueum collegit. Quid Balthicum memorem fretum, quod tum primùm Sarmaticis aquis luſtrari, expiari ventis videbatur, cùm compedes ſeruitiumque eiurauit? Quid referam aggeres artificio inuſitato ſtru-

ctos, vallum aquis circumfusum, mœnia in sublime erecta, curam hostilis ferociæ? profectò tunc agnouisti, ne eo quidem tempore, quo possidebantur, Vrbes Tuas non fuisse; quæ Tibi muniebantur: aut illos non Tuos, qui publicis commodis sudabant. Quia enim restituerunt firmiores, sic quoque inuiti damna & iniuriam pensarunt. Quid amplius facere valuissent, si iussisses? Occultis nempè itineribus Deus Tuam ducit inter hostes felicitatem, vt tum demũ Tibi se laborasse intelligant, postquam perfecerunt; & in pretium laboris accipiunt vitam: nisi fortè quis pœnam malit appellare, ab opere exilium. Non dicam itaque ego otioso, feriatoque ferro. Exercituum Tuum fuisse, quo intra vaginam condito tanta ademit, & dum parceret sanguini, sudorem elicuit. At nos miramur Te vltra Maiores nostros gloriâ iuisse', qui laudi sibi duxerunt fortissimum Prussiæ propugnaculum stipendij solutione ab obsessis

obſeſſis emere, vt Ciues ſeruarent: à Te & non empta Tua, & Tui ſeruati: non quôd tantum ciuibus non faueas, vt ſanguinem prodigere malis, quàm aurum, ſed quòd non debeas. Regiam enim eam licitationem vocas, ferro capita proijcere hoſti. Alium nundinarum locum ignoras, præter Martium campum, in quo Tu militum animos gloriæ oſtentatione, manus præmijs imples: illi ſine iacturâ expendunt. Hæc eſt germana fortium negotiatio, ſtrepitu armorum probare militaris ſinceritatem pectoris, & in ceruicibus hoſtium numerum inire. Tuum eſt igitur, Rex Inuictiſſime, quòd Reſpublica nullis in gratiam hoſtium expenſis auri, paruo ſanguinis ſui diſpendio, magno ſecuritatis bono, tot & tanta receperit. Tuum eſt, quód ſe maiorem videat, quàm à Te ſit accepta. Plurimi Tuam munificentiam feciſſet, ſi ſeruaſſes oppugnatam: nunc verò, quando incolumem auxiſti, quibus hoc genus bene-

ficij meritis compensabit? quâ gratitudine aspiciet tractus Seueriæ latissimos, fines Imperij iurisque Poloni vltra Tyram prolatos, Prussiam receptam, emporia seruitute liberata, fluuios vectigalibus absolutos, mare latrocinijs expeditum? Quod si nonnemo, quia vrbem vnicam ornauit luxu, inter laudum trophæa iactauit, ex lateritâ, eam, à se marmoream redditam: quæ oratio Tuæ gloriæ explicandæ par erit, quando tot Ciuitates pristino decori, Prouincias felicitati, Regnum integritati toties reddidisti? Tantò enim maiorem eam laudationem esse oportet, quantò amplius est Patriam accessione Regionum, quàm Vrbem lapidum inuectione illustrare, aut cumulare populis quàm statuis. Hanc sibi diligentiam ille adscripsit, postquam Deucalionas plures reperit, qui saxa in simulachra hominum refingerent? & à cælo ac dolabrâ gentem lapideam in domos immigrasse conspexit: nos cur æternis non efferamus præ-

mus præconiis Tuam Curam, quâ tot populis exilio, aut seruiendi necessitate duratis, libertatem velut vitam impertiuisti. Hos equidem iam Magnæ Matris, charissimæ inquam Patriæ, ossa veriùs posthac appellauero, quibus extremos suarum ditionum limites fulciet, postquam à Tua manu humanitatis plenissimâ retrò ad obsequia ceciderunt. Quid nam tandem ergo tam magnificis Regni incrementis illustriùs? quid Tuæ Victoriæ liberalitate amplius? quid æ-tatibus, quæ ad Te celebrandum succedent, acceptius cogitari potest? Secu-rus esto, Rex Potentissime, muneris nostri & deuotæ pietatis. Æterna crede fore hæc Tuæ Virtutis vestigia, circa quæ tot vndique ad fidem Vrbes surrexêre. Nihil in illa Fortunæ aut tempori licebit, quæ posteri renouabunt in ære, columnis incident, coloribus perpetuò excitabunt: implebuntque Tuorum factorum imaginibus terras, quas non Ciuibus modò ad habitandum, sed Tibi quo

bi quoque ad immortalitatem superstitis memoriæ dilatasti. Quod semel in lucem dedisti, procedentibus annis, docta rursus ostendet imitatio in auro, & rei argumento pretium augebit. Videbûtur in angusto tabularum spatio crescere sub manu Tuâ Prouinciæ, termini veteres emergere, templa nasci, effluere maria. Quid? Amplissimus Regni totius ambitus, sceptro Tuo quasi nouus incumbet. Cùm enim tantorum hostium vires inhibuisti, ne in intimum Gentis vtriusque sinum cladem inferrent, & suæ indulgentes vbertati armis lacerarent, quid nisi seruando restituisse dicendus es? Cùm insolentes finium excubitores, cæteramque robustam vilium animarum turbam, cui licentia iam arma libertatemque porrexerat, oppressisti, an non ab interitu reuocasti? Is hoc victoriæ genus æstimet, cui perspectum est multum periculi imminere corpori, cùm pars ægra contagium accipit, & sensim per membra languorem mor-

morbumque dispensat. Immodicos sui facit, quoties seruilia corpora animus vesanus inuadit habitator neque semper ad flagrorum ostentationem ponūt arma, qui pessimo facinori suam calamitatem præbuêre. Spartacus certè de gladiatore Imperator, postquam ab ergastulis exiguæ sortis viros suæ audaciæ adiunxit, crebris elatus victorijs, de Romanis iam fascibus inuadendis deliberabat: & hoc tandem effecit, vt dignam viro mortem in acie obiret. At Tu ne eam gloriam infamibus relinqueres, in Regni totius oculis, dedecoris publici Duces, legibus iustitiæ, non belli honore vindicasti: egregio sanè documento, saluberrimum esse tollendæ seditionis compendium, Auctores puniuisse. Optima hæc est consilij Tui ratio, quòd breuibus mitibusque supplicijs magnos ausus frangas, magnis autem præmijs parua militum opera excites, aut ingentia compenses. Prodest vitam per pericula inter infestas hostium acies cir-

es cir-

es circumferre, quam & oculi Principis obſeruant, & merces ſequitur. His largos opum prouentus, his dignitates, his amicitiam offers: In hos nuper amplissima magnarum Vrbium dona liberaliſſimé depoſuiſti, non ignarus, fortia Heroum pectora, theſauros Regum eſſe. Hâc igitur diuerſa bonorum malorumque æſtimatione fit, vt egregij excelſique viri manu Tuas cogitationes promoueant; & improbi ferocitatem in diſſidia non diſſoluant. Inde eſt Pax iſta, quam anhela cædibus Patria tamdiu proſpectabat: neq́: tot ſucceſſibus vltra vota licuit progredi. Iactabamur velut æſtu bellis; quæ dum compoſita arbitraremur, maiore refluebant impetu. Si quando feriæ Martis interueniſſent, Pacis nomen pro quiete ſubſtituebamus, adeò certaminum fata nos ſibi deuinxerant, vt in mitioribus vocabulis erraremus: Deus Te ſeruet, Rex Inuictiſſime, cuius beneficio iam nomen legitimum Pacis, non intelligimus tantùm,

tùm, ſed etiam ſentimus. Eò Tui labores bellici ſpectabant, vt aliquando optatiſſima terrarum amænitas conualeſceret, & ſub lauris victricibus dulcem ſuam vmbram, Tuâ ſerenitate circumſtante, admiraretur. Tu es ille Orbis Pacator vnicus, qui poſt longi temporis decurſum repertus es, vt Iani delubrum clauderes: cuius ambigua frons incerti euentûs pollicitatione non in ſpem metumque diſtinguebat. Non expedit iam ob dubias alieni vultus rugas fluctuare, cùm Tua ---- iuuat ora tueri

Mixta notis belli, placidamq; gerentia Pacem!

admirabili ſanè temperamento, quòd eâdem frontis maieſtate & terrorem hoſtibus, & ſecuritatem nobis ſpondeas. Ad hanc gloriam vt venires, quod quidem attonitus Orbis meritò ſtupeat, exiguum ſanguinis vadum tranſmiſiſti. Id ne Auguſto quidem conceſſum eſt, qui ad nomen tantum Oceano infecto nauigauit, & parem

propè

propé paci eluuionem cruoris præmisit. Nobis ergo Te Principem Superi dederunt felicissimum, qui ostenso mucrone celeriús in liberum Reipublicæ gremium Pacem euocasti, quàm ille vibrato vix tandem in suas partes compulit. Scilicet dicendus eras Augustus alter, sed veriús, quòd non minueres armis orbem, sed clementiâ augeres. Te ipsum huius rei testem habeo, qui, deterso puluere bellico, per Regiones afflictas præsentiam Tuam circumuehens, spectasti, quanta agmina sese postliminiò desertis inferrent penatibus, resumerent in suo vivendi studium, ædes implerent, quas ob Tui absentiam detestabantur. Arat suum agellum iam colonus, & vbertatem ex Tuis vestigijs interpretatur. Tutas vndique vias peregrini agunt, nec ad vlla pericula respiciunt. Sonant legibus Tribunalia, liberalium opera disciplinarum instauratur, & aureæ ætatis quædam imitatio omnia occupauit. Tutò nauigantur maria, neque pirati-

cam

tam ampliùs nautæ cogitant tempesta-
tem, quamdiu suæ quietis obsidem Te
habent: sed neque metum in ventura
seruant tempora posteris Tuæ fortitu-
dinis certi, quam in portubus, velut al-
cyonem, ad perpetuum securitatis pro-
gressum reliquisti. ô diem illum lætissi-
mum, quo ereptas, aut seruatas Vrbes
pace iam inductâ circuibas! ô auspica-
to exortam horam, quæ subditis Tuam
præsentiam obiecit! Illa omnem vete-
ris calamitatis memoriam detersit, im-
punitate ad pænitentiam reduxit, & in
remedium opum bello exhaustarum
indulgentiam reliquit. illa æquitatis
studium induxit, oppressos moderatio-
ne pensionum leuauit. illa tractauit
vulnera dissidentis à Magistratu plebis,
prouidit medelam, fomenta dispensa-
uit. Audiuimus quoque cùm de tot be-
nignitatis vijs in pietatis curam pro-
gressus, templa Diuis redderes, repete-
res ad sectas deuoluta, & ad reuocan-
dam veræ Religionis accessionem, vo-
lunta-

luntatis Tuæ legem relinqueres. Benè Tuis rebus ominamur, Rex Inuictissime, quando causam boni publici Deo communem fecisti: laborasq́, adhuc, vt Victorias tuas cælesti partas esse auxilio, palàm copiosiùs testeris Quidni igitur tam Pium, Feliceemq́: Triumphatorem sincera videndi cupiditas vbiq́; præstolaretur, gratulatio frequens exciperet, desideria, quæ nondum aspectu satiabantur, oculis sequerentur? Cur te omnis ætas non ambiret Liberatorem, qui nouam iterum benemerendi quæris materiam, & quò prosis semper inuenis. Peruenit etiam ad nos huius Tuæ humanitatis dignatio, cum in primariâ Lithuaniæ Vrbe sedem tui aduentus fixisti, vt felicitati constanter immoraremur Vt hic opportuniùs subsisteres, eximio aëris deducebaris fauore. qui Te Serenissimum vbique monstrabat: ibi demum sese nubibus soluentibus, vbi itineris labori quies interueniebat. Cùm vices rerum ita Natura tempo-

temperaret, quid nisi his officijs se restitutam esse per Te asseruit? an potiùs Tuæ liberalitati voluit colludere, & quanta lætandi copia animis nostris contingeret, rerum argumentis ostendere? Hilaritas proinde iam se se per latissimas Lithuaniæ, Russiæq; terras diffudit, frequentissimus vbique plausus obuijs sese explicat, claris Vota per vicos incedunt, responsantq; vocibus: & nemo silentium tantis gaudijs interponit, nisi quem dicendi lassitudo transmittit, vt Te admiratione colat. In tam publica omnium comprecatione hanc etiam, quamuis rebus Tuis gestis imparem, admitte vocem, Rex Inuictissime, & patere, vt hic quoq;

POTENTISSIMVS VICTOR, TERRARVMQ; PACATOR legaris.

PANE-

# PANEGYRICVS
## INVICTISSIMO
## POLONIÆ ET SVECIÆ
## REGI
# VLADISLAO IV
# MOSCOVITICO
## VILNAM VRBEM

DEBELLATIS HOSTIBVS,
RECVPERATIS PROVINCIIS,
PACE CONSTITVTA
INGREDIENTI.

VILNÆ
A Societ. IESV.
Nomine Academiæ ejusdem Societatis
JESU
Dedicatus.
ANNO M. DC. XXXIV.

Res gerere, & victos ostendere Ciuibus Hostes,
Attingit solium Iouis, & cælestia tentat.

*Horati: Ep.* 17.

---- Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est: Pax vna Triumphis
Innumeris potior: Pax custodire salutem,
Et Ciues æquare potens. ----

*Silius lib.* 11.

# PANEGYRICVS

TRiumphales hi, & Tuis Victorijs concolores dies, qui te nuper consecratum Regem, tuorum oculis ereptum, Victorem restituunt, REX INVICTISSIME, in eum felicitatis tuæ splendorem omnes conspirârunt, vt non vota modo de te Principum Terrarumq́; probent copiosiùs, sed vberiùs quoq́; explicent vniuersam gloriæ vim ac potestatem, quam Nomine polliceris. Nam tametsi prosperrimo animos omnium anteà iam expleueris successu, lætissima tamen hæc multumq́; expetita tempora, quæ Te, debellatis Hostibus, reducem excipiunt, pulcherrimæ Tuæ Fortunæ ampliùs loquuntur magnitudinem. Te enim ipsum tuis ostendunt Terris inuictum Moschouiæ Domitorem, rebus gestis ac Victorijs clarum, recens parato *Triumpho* conspicuum, qualem prudenti anticipatione futurum sciebamus. Intelligimus iam,

augu-

augustam corporis *Tui* speciem, & bellicam in Martio vultu Maiestatem, quendam quasi tacitum Tuæ Virtutis Oratorem nobis circumferri. Animaduertimus oculis hanc nostris concessam felicitatis prærogatiuam, vt in præsente legamus quandam rerum à *Te* gestarum perfectionem, quæ verba ad sui commendationem non possit apud nos inuenire. Quemadmodum enim quadam Virtutum argutiæ ac notæ in vultibus emicant, quas feliciter quidem ingenia pictorum peruident, non vtiq; pari dexteritate ac lenocinio in tabulam transferre possunt; ita diserta laudatio non perinde magnificam explicat gloriæ formam, quæ in exteriori Victoris Principis specie efflorescit. Sola hoc habet magnorum effectrix Mens operum, vt suo se, ex rerum dignitate promere possit in publicum apparatu. Felices itaq; merito à posteris existimabimur, quibus *Tu* ipse *Tuarum* interpres Victoriarum contigisti. Neq; tamen

men infelices idcircò illi à nobis appellandi, cùm minora audient, quam geris. Scient enim non liuorem obesse Famæ, ne ex rerum pretio loquatur, sed facultaté & compensabunt æstimatione, ac stupore, quo magna coluntur, quidquid facundia assequi non potest. Quò magis mihi ignoscendum esse animaduerto, cùm maiore voto, quam splendore verborum tuas laudes aggredior; & hoc in defensionem afferre non possum, quo cæteri dictionis moderationem commendant. Laborant in eo plerią; maximè, ne in laudibus percensendis sint nimij, & exiguorum conscientiam meritorum verecundiam, ambitiosâ sermonis pompâ vulnerent; ideoq; dicendi copiam ad Principum modestiam submittunt: me verò Regij tui labores amplissimi adeò Maiestate suâ ac Lumine perturbant, vt verendum mihi sit, ne dum eloquentiam cogo ad Laudes: obsequium tenuitate Orationis corrumpam. Et quidem, si omnia mihi

com-

commemoranda essent, quæ Parenti Tuo, inuicto ac indomito Heroi in solatium gessisti, quantus mihi dicendi campus aperiretur? quàm impar humeris operum moles incumberet? Cuius hoc demum esset facultatis, per immensa terrarum spatia vestigijs Virtutum Tuarum inspiciendis insistere? spectare Romam, supremam illam Nationum arcem, quam magnus Hospes impleuisti. castra Ducis nostrâ ætate celeberrimi Spinolæ admirari, in quibus artis Tuæ militaris singulare specimen posuisti, & ostendisti, candore Ducis inuitatus, quid in magnis ingenijs, & absoluto munitionum situ corrigere possis? Borysthenem adire, ad cuius ripas vniuersa Moschorum Barbaries Tuis genibus affusa seruitutem iurauit, cùm libertatem dares? Quam mihi facundiam, rerum gestarum felicitate aspirarent, vel earundem magnitudine eriperent campi, Tyram vltra latè porrecti, qui Tuos sudores, & Asiæ penê totius sangui-

ſanguinem à *Tua* manu hauſerunt? cùm Oſmanus Orientis totius Imperator, Tuo Numini victima cecidit, & capite depoſito Virtutem cæſus adorauit, quam viuus timebat? Ea verò, quæ domi in Luce Patriæ egiſti, infinita planè cùm ſint, atq; innumera, meam mihi obtrudunt infantiam. Quis enim ſingula vel hac breuitate percurreret, prudentiæ, roboris, felicitatis *Tuæ* monumenta? Vota Gentium, Regniq́; huius æſtimare, quæ *Te* ſceptris admouerunt, & lugenti adhuc Purpuram ac Coronam iniecerunt, quàm difficile atq́; arduum eſt? Quis gloriæ miracula citato Orationis curſu perſequatur, & ſe non ſubitò in primo dicendi limine referat in gradum, ſi intueatur, non ſocias tantùm & fæderatas terras, ſed hoſtes quoquæ in vnam, eamq́; rectam *Tuorum* factorum venerationem conſpiraſſe? An enim *Tibi* inuitus in *Triumphum* Guſtauus vitam non poſuit, & fictam ſcenico nomine exuit *Sueciam*, ne inte-

ger potentiæ Tuæ titulus, in consortio dignitatis, aliena mendacia haberet? Tuæ fortitudini Barbarus seruiuit Moschus, cùm Sacro sanctam palabundus calcauit fœderis religionem, & per funesta in arces finitimas periuria cōscendit. Vel hoc ipso satis amplum militaris Tuæ peritiæ, ac roboris dedit testimonium, qui melioribus diffisus consilijs, præuenire potius fraude, ac scelere voluit, quàm in aduersum vires suas experimentum differre. Tunc funestum in vicinas ceruices ac terras ferrū intulit, cùm Te liberæ Polonorum Manus Regali auro occupabant. Quid verò ad tam infaustum nuncium subitò non moliebaris! Distulisses, si per Te stetisset, decus sceptri, vt clauam erigeres, nisi subditorum desideria, aureum Te prius, sibiq; amabilem in Regali Maiestate quàm ferreum hostiq; difficilem in bellico puluere admirari maluissent. Quoties optasti longa Comitiorum spatia breuiori cursu præterire,
consi-

consilia in angustum cogere, securitatē in fines deferre, ad omnes honoris primi fructum destinare? Audiebas immanem hostium furorem, Nationum diuersarum delectu varium, ingenio subdolum, perfidiâ celebrem, numero militum & armorum opulentum, sedere ad Smolenscum, fossis circuire, continuo ligatis ductu castris stringere. Intelligebas subterraneis dolis turres subrui, eijci puluere nitrato muros, agi vineas, scalas admoueri, parua arcis immensæ præsidia perpetuis laboribus ac vigilijs fatigari. Tanta periculorum mole prorsus concidisset magnorum animus Imperatorum, Tuus assurrexit, & Te Regno huic cælitùs concessum probauit, vt pulcherrimam rebus afflictis ac dubijs fortunam porrigeres præsens, absens mitteres. Incredibile enim, & ad aurium illecebras confictum videretur, tam ingens Prouinciæ propugnaculum à paucis contrà frequentes Hostium legiones seruatum, nisi Tua

 auspi-

auſpicia noſſemus. Tuæ felicitatis erat opus, quod ſtarent mænia, ruerent Aduerſarij, milites ſola tui aduentus expectatione viuentes, corporum atq; animorum vigorem retinerent. Jta poſtquam aduerſis ac bellorum tempeſtate fluctuantem Reinpub: tractare cæpiſti, ijs quoque ſpes ſalutis affulſit certiſſima, qui ne auram quidem ducebant liberam, niſi quam Hoſtes ſuæ fiduciâ victoriæ, & terroribus imbutam tranſmiſiſſent: Et verò, cùm Te in Patriæ gremio detineret multa vndiq; impendens neceſſitas, & primæ ſubditorum preces, quibus tuæ conſulebant dignitati, amoris inuitamentum non tuliſti. Mouerunt Te calamitates miſerorum, quarum ſenſus maior Te tangit, poſtquam ſingulos cum Sceptro in manus, cum Coronâ in cogitationes admiſiſti. Didiceras ab Aureo Pomo, quod in ſolenni datur inauguratione, ad Te pertinuiſſe, vt Tuæ Fortunæ præmium ac dulcedo ad omnes perueniret. Summis

ergo

ergo itineribus properasti, vt securitate præsentiæ pericula dissipares: nec sic tamen absens, cùm abesses. *Sustinuit* interea tuos successus Vicaria Tuæ imperterritæ fortitudinis Mens, quæ Tuam præsentiam vbiq; circumtulit, Quò magis autem Barbari agere prædas, & in vicina euagari prohibebantur, eò pertinaciùs, in illo militari otio, Arcis Principis excidium agitabant. In hoc fortissimum munimentum, adductarum versutia Nationum incumbebat, innumeræ sudabant operæ, omnium pendebant animi: ignari, quod tuis rebus militarent. Nam postquam in hæc campestris meditationis opera, & validissima difficultatum erectarum artificia semel hostis decidisti, subitò nudati propugnaculis montes, tuum tibi Smolenscum retexêre. Anni penè totius laborem dies vna ita sustulit, vt viæ vndique laterum starent apertæ, neq; tot anfractus vallorum, & tumuli loricis emuniti tutam amplius præberent stationem.

onem. Jn vna omnes cesserunt castra soli, omnia se portare secum rati, quod pedes ad corpora auehenda superessent. Hoc quoq; Clementiæ tuæ debent, quòd cum cælo transegeris, ne Victoriam sanguine Hostium cruentares. Ostendisti eâ Te pietate esse, vt ad vincendi securitatem voluntate tantùm opus habeas: eâ prudentiâ; vt dispersos sub vnum extremæ Sortis ictum colligere possis. Neq; verò hæc Diuinæ opis benignitas in otium cecidit Tuum, & fidem conatu ac occupatione militari absolutam. Non supplicibus eam duntaxat in partes tuas aduocasti palmis, sed ferro etiam inuitasti. Jlla enim multum pretij habent vota, quæ, quod petunt, faciunt. Exordia pugnandi, quæ precum ardor promouet, pro consummatione Victoriæ Superi metiuntur. Quanquam etiam ita præsens in ipso prælij feruore Tibi aderat Numen, cùm latè sterneres Hostes, & erectas adires per cadauera moles, vt militum gladij

iam in ipſis aduerſariorum caſtris triumpharent. Perfeciſſes igneæ alacritatis conſtantiâ, Tuarum virium impetum, niſi manus ad placandos rebellibus Diuos transtuliſſes. Propè ipſa tibi diſplicebat Victoria, quód peſſimé obſtinati, benè oblatam ſalutem impetrare nollent. Quia tamen ſeruare volebas, idcireò, cùm memoria graſſantis in ceruicibus cædis, ſomnum non permitteret feſſis, & alacres nihilominus ad fugam faceret, Tuis votis, debent. Nox obſcura & illunis erat, cùm relictis abirent impedimentis; & ſidera ipſa cælo profuga teſtabantur palàm, quod violati fæderis conuincerent fugientes. Suſpenſis ac cautis veſtigijs Sehinum verſus lentè viam periclitabantur, & ſic tamen properabant, neq; tuam fallebant vigilantiam, ante quam omnia dilucefcunt. Jn errorem dari potuiſſent, niſi ad vnum fortitudinis tuæ experimentum, vniuerſos pergere maluiſſes. Dies ſequentes cauſam inſoliti timoris, faci-

faciem castrorum, rerum copiam sub aspectum posuêre. Quis hic lætitiam militum explicet, quorum periculis pietas tua consuluit, vt in opulentam prædam otiosi venirent? Gloriam tuam voce tumultuosâ differebat Exercitus, & in vrbes publicæ hilaritatis decus porrigebatur. Celebrabant alij Martiam illam Iulij Cæsaris celeritatem in Te gloriosiùs effulsisse, cui ignotæ prioribus seculis machinæ moras vincendi non facerent. Mirabantur impedita aggeribus loca, implicata fossis, æreis insessa tubis, armis instrata, tuo conatui facile patuisse, &, quod paucis contigit ante Te Jmperatoribus, vniuersos perijsse vno vincente. Alij amicam cum Deo consuetudinem efferebant, quod expiare Tuarum fines prouinciarum sacrilegio Hostium posses, & speratus alienis Castris succedere habitator. Talibus fremebant cohortes præconijs, & nemo erat, cui vltrices Furiæ, quæ perduelles œstro eiecerunt, non elicerent

futuri

futuri exitûs auguria. Distrahebatur interea diues penu in omnes. Ferrearum acerui pilarum, bellica ad vsum supellex, curules balistæ publicum referebantur. Cùm plurima cæteros recrearent, Tu ad tuos, quos diuturna obsidio afflixerat, quorum armis, vitæ, animis inuolutum constitit Smolenscum, concessisti. Et verò magnum ac verum Principum ornamẽtum sunt seruati Ciues. Hos morti eripere, reddere Patriæ, clarissimas inter semper habitum Coronas Quidni ergo & illi tui amænitatate vultus ac successu excitati, quasi ad vitam è ruderibus exsilirent? cur se non effunderent in pomeria, vt Tuâ præsentiâ maximæ Arcis vastitas impleretur. Tum primùm periculorum voluptas in gestus corporis emicuit, & signa lætitiæ, quam gustata ærumnarum patientia commouerat, in indicem frontis serenitatem exierunt. Mænia ipsa, quæ assidua pugnandi contumacia solo æquauerat, ad Tanti Ho-

 spitis

ſpitis aduentum ſurgere videbantur, & in Muralem coire Tæniam, vt integro Vindicem ſuum atq; Patronum coronarent ambitu. Æreæ machinæ, quæ furibundo aſſueuerant fragori ac cædibus, in gratulabundos explicuêre vim clamores, & lætitiam conſpirantibus in plauſum flammis accendebant. Vtrinque gratus eras, & quia REX veniſti, & quia Liberator. Jlli de Te vires aſſiduitate operis fractas reparabant, & iā ſe recipiebant, quia Te viderunt: Tu in illis amaſti inauditam, & apud poſteros æſtimandam animi magnitudinem, quæ ſeruitutem, in illa arcta obſidione horrebat, & ingenui ſemper, quia *Tui* iuris erat. Jnuicta pectora, quæ Spartæ murum feciſſetis, & circum nudas Thebas generoſiùs ad virilem tubarum vocem ſurrexiſſetis, quàm rupes poſt Amphionis Lyram reptauerunt. Vos illibatus Liberæ Gentis ſanguis, Numantinam reddidiſtis Orbi in exemplum virtutem Tam enim immoto ſtetiſtis contra pericula

ricula ſemper gradu, vt oculos veſtros & vocem ſuſtinere, plenum opus fueris aleæ & terroris. Eam inuicem ſuſcepiſtis viuendi legem, ne vnum ſuperſtitem haberet immanitas, quem ſeruitute violaret. Nomina pactionis, fœderis, pacis, tam ignota vobis erant, vt in obliuionem abiuiſſe viderentur. Hoc itaq; fortitudinis prodigio effeciſtis, vt & immortalitas res veſtras præclare geſtas receperit intra gloriam, & Regia Liberalitas præmijs honorauerit ampliſſimis. Plura licet, quàm optabatis, accepitis, ipſe tamen magnanimus Princeps, munus erat præſtantiſſimum. Vt enim illum aliquando reciperetis, viuere voluiſtis. Quidquid aliud in mercedem venit, ipſius erat authoramẽtum gratiæ & ſignum rei expetitæ. Te igitur conuenio REX Jnuictiſſime, qui poſtquam milites ſpolijs oblæſſos, Tuo aduentu ac Victoriâ refeciſti, nihil aliud mente agitabas, quám vt fortunam proſequerere. Commodùm autem ceciderat,

derat, vt bellum in compendium mitteretur. Exercitus tantus, quantus summis stipendijs domi & foris, maria vltra, & per alienas quærebatur Ditiones, in cumulo iam erat. In punctum, omnes vnum transiuere, & fecerant virium summam. Sic quoq; futuri difficiles, quod & à tergo vniuersa iaceret Moschouia in subsidium, & ipsi à fronte imminerent. At exercitus, quem ducebas, vt vi ac animo valido & inconcusso anteibat, ita numero erat exiguus, & comparationem in censu non admittebat. Quid hic aliud gereres, quàm quod posteri suspiciant, & ante Te non legerunt? Ratus è vicino rem agendam esse, & in vltimum conatum recentes vires intendendas, Moschouiam inter, & latissima Hostium castra, Exercitum minorem, neq; sic tamen totum posuisti. Milites deinde in latera explicari, montes insideri, erigi muniti ones. Tanta hæc in opus ibant celeritate, vt obsidio prius steterit, quam

sen-

ſentiretur. Quis hoc tandem, in conſilium afferre ſine temeritatis vitio auderet, quod cum ſumma prudentia ex arcanis militiæ præceptis peregiſti? Certè tantâm ingenii & audaciæ, ſcriptorum aſſentatio, cui quidlibet comminiſci promptum eſt, non habuit, vt literarum monumentis illigaret, quod feciſti. Jmperatoribus Parentes dabant è cælo, imputabant immortalitatem, diuinam affingebant conditionem: hoc addere non potuerunt, ne aliquando inter fabulas eſſet, quod Virtus Tua in lucem debuit eniti ſtatim verum. Trito illi calle incedant, qui alieno ſe regunt ſucceſſu, & ad veterum exempla, velut infantes ad fulera appoſiti, gradus primos tentant. Tu operum tantum iam Orbi dediſti, vt Te poſſis imitari. Circumfuſa olim Tuis caſtris Aſia, pluribus cohortibus prope, quam viros ſub ſignis numerabas, circùm Te excubabat. Vires non Ottomanici Imperij, ſed humani generis videri poterant. Ji cùm ſe in ter-

in terrarum libertate esse putarent, tenebantur. Abire non poterant, nisi rogassent. Quodsi legem à Te accepêre ingentia variarum Gentium nomina, quid aduersi hic ominareris, vbi vrgebas? Robur Moschouiæ circumstabas; sed ipsam obsedisse putabaris, quæ tam longo ad apparatum dato spatio, lacertos in susidium mouere non poterat. Partem, in quam sanguis ac vigor omnis sluxerat, pressisti; quid nisi torpor vrbibus, velut membris, incumberet? Vocem quoq; in aures obsessorum extendere non poterant. Si quæ mittebatur, languore suo peribat, aut à Tuis intercepta intelligebatur. Hoc effeceras, vt in alieno âêre vacillantes, sua non haberent alloquia. Silebat vniuersum Jmperium, vt Tu loquerêre. Terra nihil illis dabat ampliùs, quàm quod mòrtuis solet. Fossas illi vocabant; sepulchra erant, tam incerta hospitum, & Tuis addicta nutibus, vt eiectura infidos, & parricidis æquales facilè viderentur.

rentur. Eiecerunt poſtea, cùm magnitudo ſceleris maturuit, & colorem ſepultorum induerunt. Sed ad hæc veniam iterum, cùm prius Tuos in hoſtico progreſſus fuero contemplatus. Nam poſtquam iam denſis omnia firmaſti munitionibus & propugnaculis, partem exercitûs in Moſchouiam deſtinaſti, vt circa reliquorum Matrem oppidorum luctaretur. Fama rerum geſtarum præceſſerat, & omnia trepidabant, quaſi militum manus ſæuiret. Ædes deſertæ, Lares patrij relicti, omnia aperta, nouos illecebrâ annonæ ac opum inuitabant hoſpîtes. Colligebantur ad totius ſeditionis caput plurimi, & ſui ſtipatione formidinem denſabant. Pleroſq; tam intenta rapuit fuga, quaſi extra Solem armis qrærendi eſſent. Cæteri, qui fiduciam tebus ſuis fingebant, finitimis carceribus magis, quàm arcibus ſeſe includebant, ne ſtragem ſentirent, an ne viderent? omnia enim ſic luctuoſum faciebant ſpectaculum, vt

oculi

oculi bellorum incendio graſſante ac fumo irritati ſpontè lacrymarentur. Quidquid virium erat in hoſte, circa præcordia imaginarij Ducis palpitabat; nec fas erat ad leuandos miſeros, tantùmq; animam trahentes excurrere. Quidquid relictum fuiſſet, pro alieno haberi poterat. Proximis itaq; ſtrage ingenti correptis, contagio quædam mali in extremis finibus ſentiebatur. Tu hæc inter, Sehinum, qui opulento inuitata aut decepta impendio, variarum Gentium robora ſecum habebat, virum iam militandi veterem, retinebas. Quis centrum eſſe, quod inſederat, Tuis militaribus in circularem lineam euolutis copiîs credidiſſet, niſi duxiſſet religioni, ordinem ac ſitum turbare motu? Jſtâ egebat quiete ætas profligata annis, & ingenio pertinaci. Reliquiſti ſpatium, quo vaſtus experiri periculum poterat exercitus, & pectoribus viam quærere, Otium maluit, & prælijs circa nidum ludere, quàm bello

moliri

moliri liberatem. Sciebat enim Tuæ Virtutis conſcius, ibi quoq; iter obſtructum eſſe, vbi munimenta nulla ſtarent, ſed Tu eſſe poteras. Cogitatio hæc in hoſte prudens fugam diſuaſit, ne dubio fortunæ paſſu in cædem pergeret: retinuit a publico maximarum duello terrarum, ne citiùs ſemel periret, quâm optabat. Ampliſſimum verò fortitudinis Tuæ teſtimonium erat, quòd quem forti militum cinctu ſtrinxeras, ad prælia, quoties vellet, ſolueres. Et quidem laborabat ille, conflictibus milites ſuos euentilare, ne otia languor virium & tabes ſequeretur; ſed cùm videret denſam ſtragem, grauius malum, incurri, conſilio ſuperſedit. Intelligebat diuerticulis hic pugnandi & deſultoriâ militiâ, tempus cum clade duci, non exitum parari. Quærendi itaq; erant, & admotis viribus è ſubterraneis luſtris eruendi. Sæpiùs propè ſunt armis laceſſiti, quàm territi, & quod ſolum ad arctiſſimam deerat adhuc obſidionem, hoſtiles portæ cæſo-

tæ cæſorum mole corporum claudebantur. Ita pro Te iacebant mortui, qui contra Te viui ſtabant. Vidiſſes non ſemel expugnatos omnes, niſi temporis ratio pro Te certare incepiſſet. Brumalis horror, infeſtus niuibus turbo, gelu intractabile, terræ rigor, crudæ tempeſtates hoſtem preſſêre. Cælum Tibi militabat, coniurata in auxilium elementa aduerſarios terris proſcribebant. Nam vt Tuorum alacritati nihil aſperum eſſet, á Te vno omnes calebant; illi tremuli, frigore dubium, an metu? malè tecti, ad paucos focos in quibus ignis, veluti ſacer, ad vſum bellicum vigilabat, hærebant. Conſuetudo tamẽ cæli fecit, vt dura mens contra inſanam àëris intemperiem proteruè obniteretur. E glacie, è niuibus, è Marpeſijs propè ſunt effoſſi cautibus, & iniurias ferre non didicerunt, ſed ſciunt. Quemadmodum tamen aqua frigore concreta hiat, & rumpitur nimiâ hyemis aſperitate, & ponderis impatiens

latè

latè ſtridet; ita' diuturnitas malorum, aſſiduitatem tolerandi maiore, ſenſu afflixit. Cæduis prohibebantur ſyluis, aberant fomenta gelu peruſtis; & inde morbi ac funera. Jn Tuis Caſtrisècontra verna quaſi ridebat hilaritas. Vigor corporum, flos virium, animi pugnæ ardentes faciem temporis mutauerunt. Quis enim tam impos ſui fuiſſet, quem tua ad ferendum non accendiſſet conſtantia? Quis non arſiſſet à frigore, quod ſponte in exemplum admittebas? Jniuriæ cæli, quæ in te cadebant, admirabili clementiâ agebant in milites, &, quaſi ab attactu naturam depoſuiſſent, inflammabant. Jgnea mens niuibus alebatur, feruebat á proximo latere ferrum, & algor ille Septemtrionis ingens, rabiesq; ventorum, animum rigore non edomabat. Et defuiſſet ſané incitamentum laudis, fatalis calamitatum, ſcopulus, tuus aſpectus ita fuit incitandi potens, vt Themiſtocli Miltiades, Hercules Theſeo. Et hic tamen gloriæ ſtimu-

ſtimulus abeſſe Te præsẽte non poterat, qui omnia in immortalitatis curã conuertis, & eripis lãguori, in quẽ ex vicino agis. Arx amæna & Regalibus inſtructa cõmodis, hoſpitiũ oſtẽdebat trãquillũ; inuitabat, vt æſtiua ab hybernis diſtingueres, aliquid etiã ſolitis detraheres laboribus. Sed tã incitatus inerat animo feruor, vt in illo horrẽdo tẽpeſtatis habitu, delicatã fouere nolueris cogitationem. Quia Te obiectabat exercitus frigore adſtrictus, cùm ãhelitu circùm ora concreto, & ſolutis de ſuper in niues nubibus caneſceret, iam non tantùm ad Patriæ ſalutem, ſed ad imitandi quoq; voluptatem, patientiæ de Te exhibebas ſpectaculũ. Eant nunc, qui cumulatiſſimum Principum munus aſſerunt, Conſilia & Imperium, duas quaſi manus, quibus Regna ſeruantur vel vindicantur. Te virtus propè inter Commilitones habet. Ipſe facis quod iubes, non iuſſurus, niſi tibi gerendi impoſuiſſes neceſſitatem. Cæteros addixiſti operi-
bus

bus certis perficiendis secreuisti dignitates officijs, ætates ac merita immunitatibus: vnus discrimen nosse noluisti, peregisti omnia. Bellicorum munerũ Compendium ac Summa dici potes. Illustris es Imperio & Labore,& partes Fortunæ confudisti. Legiones etiam num cum admiratione spectant terræ regionem, quæ à tuo ingenio pulcherrimam Castrorum accepit speciem & pugnæ locum; arbores, quæ quiescentẽ senserunt, montes quos excubitor obequitabas, aut inuadebas pugnator: ijsq; sudorum Tuorum vestigijs ad bellicas laudes commouentur. Nemo in posterum ignauus ac degener terris illis insistet, quæ à Tuo excellenti studio genium quendam hauserunt fortitudinis. Eijciet profanos, locus Tuà virtute consecratus. Antiochia id, nescio quâ Dei lege habet, vt Mahometis Sectatores diu inter viuos non sinat: cur á magno Hospite Seueria parem non acceperit felicitatem? ¡ Jn te itaq; refero, REX

Inui-

Inuictissime, quòd ad tuum aduentum, hostes terris excedere cæperunt. Pugnæ primùm infelices, metus deinde, afflixerunt omnes, Accessit fames & latè omnes sequaci corripuit contagione, effecitq; vt nemo suã vitã optare potuerit, qui Tuã Victoriã simul non esuriret. Qui cadebant, sibi imputabant, quod eandem Tecum terram calcarent. Nouerat aër suum Principem, & singulari sese impendebat omnibus discrimine, vt *Tui* vitam ducerent, illi haurirent mortem. Eiecta ab vsu hominum stomachis ingerebant, feles, canes, & quidquid horremus; & discebant in symbolo fidelitatis, quod rodebant, pænam perfidiæ. Atq; ita magnum cædis compendium dextris tuorum euenit, cùm Aduersarij in suorum cadaueribus tumulandis fatigarentur, quos Vltio in ipso sceleris loco oppressit. Multa hic mihi dicenda essent dictu tristia, ad quæ subeunda coegisti contumaces, si liceret Triumphales Tuas

aures

aures rebus funestioribus diu tenere.
Lætum illud potiùs ac ingens tuæ gloriæ monumentum commemorabo, quòd plurimis prælijs, cædibus frequentibus perfeceris, vt hostibus placeres. Qui enim rebus suis meliùs consultum voluerunt, sese castris suis eripiebãt, accedebãt Tuis. Sua tibi vulnera vendebant, tanquam corporibus eorum tui gladij incidissent illecebram transfugiendi, & primâ Sacramenti reuerentiam, iam cohortibus immixti, novum susceperunt certamen, vt Victoribus sedulitate pugnandi coæquentur, & quibus artibus hostes erant, amici sint Hæc est Imperatoris Inuicti gloria, quoddam in animos gerere Imperium. Nam qui corpora vinculis, aut carcere obligata tenent, in cogitationes nihil iuris habent, liberas, fræni nescias, sui & rerum Dominas. Qui mentem nobilissimam hominis partem, attraxêre in obsequium diuinam imitantur potestatem. Effecisti itaq; rem omnibus posteris memoran-

morandam, cùm ijdem, qui te metuebant, diligunt. Cæteros in latebris, a teterrimo malorum ergastulo Fortuna retinuit, vt pereundi maturitas cumulo afflictorum aucta properaret. Erant enim iam clara illius vndiq; argumenta, Bello multa inepta corpora, languor virium, lue inducta tentoria. Tormenta quandoq; horrendum mugiebant, esse adhuc qui viueret. Ferreæ veró pilæ innoxio circùm corpora ictu cadebant, quasi ad hoc mitterentur, vt futuri dominij rigorem obsequio, ac reuerenti allapsu præuenirent. Rapidissimum interim properantis necessitatis cursum frequenti incursione iuuisti. Nudatum propugnatoribus vallum, turbatæ casæ, excursiones impeditæ. Globi creberrime emissi, aut in fossâ parentabant latentibus, aut patentia certis ictibus in vias castrorum effundebant corpora. Habebant, quo viuerent, si auxissent barbariem. Cùm ita omnia cædibus miscerentur, & miles assi-

les assiduo circum Castra penderet opere, moriendi pertinacia inundatione sanguinis intepuit. Coegisti inferis deuotos, vt viuere mallent. Itaq; precibus, ac frontibus in terram ruentibus, velut si impudentiam violatæ religionis damnarent, cruentum tuarum Victoriarum successum ad Clementiam reuocarunt, Eius te nouerant indolis, vt Victor Animorum dici gloriosius censeres. Inciderunt in mite pectus, & votis facile cedere, Donasti vitam, quam eripere poteras. Indulsisti fortissimis tuorum dexteris, vt iacentes spectarent, quos gladijs non deposuerunt. Et hoc ipsum Victoriæ lætitiam auxit, quòd tuorum pericula nolueris. Hac arte integram Tibi addixisti Gloriam, Conseruare victos, ita Tuum est, vt, quod omnes vitæ munus acceperunt, à Te vno dari potuerit. Ex omnibus animi ornamentis seligunt cæteri Principes certa laudum præsidia, quibus sua facta vulgo eximant: &, ne ex singulis pauca

admodum delibasse, videantur, in vnius hærent incremento. Qui omnium concentu irent per ora hominum, pauci extitêre omninò. Quemadmodum enim Diuinæ propê, & non humanæ mentis est opus, blandam amænissimarum virtutum faciem, rigore cæterarum non efferare: ita difficile est, sic in vno apparere singulas, vt in communi omnium commercio quibusdam præclariùs effulgentibus, aliæ non obscurentur. Tibi hæc præclarissima gloriæ concordia contigit, vt nullum inumbres alterius boni confinio splendorem. Fortis es & mitis: constans & exorabilis: terres & allicis; eâdem manu pacem in patria foues, bellum in hosticum exportasti; gladio cepisti hostes, clementiâ conseruasti. Omnia tam conspicua sunt, & victis admiranda, vt dum ad pondus, & primam partium ambitionem Virtutes Tuas vocare non possunt, omnes ex æquo prædicent. Laudant Te animi ac virium plenum, immotum,
imper-

imperterritum, quoties vincis. benignum ac facilem, postquam vicisti. His generosæ mentis instrumentis Tuus magis successus inclaruit. Nam ferro cauta sæpé eripit fuga trepidos, fallunt persequentis diligentiam latebræ, vis animo resumpta vincentes moratur. Clementia verò ita certa est Victoriæ, vt, quem gladius præterit, illa vincendum suscipiat. Fuêre aliquando, qui, vt non Victori, sed necessitati se cessisse ostenderent, dedère posthumam ê vultibus tabidis protetuiam, & viuentem in ipsâ morte iram reliquêre: ferali hoc habitu testati, hostes se ad inferos ire. Credebant se pleni triumphi solatium erepturos, si vltima fata exciperent à fauore, & contumaci vultu adhuc aspectum sauciarent. Et licet hæc non voluntate cadentis æstimanda sint, sed eius, qui gloriæ suæ litat: pulcherrimũ tamen habetur felicitatis integræ testimonium, si ab omni parte beata sit Victoria, & non masculâ tantùm stra-

ge, ſed parſimoniâ quoq; ſanguinis commendetur. His Tu REX Inuictiſſime, iuiſti in gloriam itineribus. Jta enim partitus es numero & apparatu inſtructum hoſtilem Exercitum, vt magnam ſuſceperis excidendam ferro multitudinem, quæ ſuo flagitio indurutrat: non pauciores autem dimiſeris, qui beneficio euadere Tuo cladem maluêre. O Tuam non fortitudinem magis, quám benignitatem prædicandam? Pectus roboris conſcientiâ firmum, & plenum pietate in afflictos effudiſti, ne eos calamitate extremâ conficeres, qui, niſi per te viuerent, viuere non poſſent. Acceperunt leges, quas in Patriâ ſuâ ſeruarent, & liberi eſſent, ex genio legitimi Principis, à ſeruitute cæteris obſequendi. Hoc enim verò ſingulare fuit tuæ prudentiæ miraculum, cùm eò rem deduxiſti, vt è præſcripto tuo, Sacrilegæ Reipublicæ obſequelam negarent. Oneratos etiam armis abire voluiſti, baiulos potiùs quam milites, vt referrent

rent ad ſuos damnatæ pænam audaciæ. Nam cùm vti non poſſent, ita tulêre conditionem, quaſi manus præciderentur. Et ſic quoq; clemens eras ac mali prouidus; ne incumberent dolori, quoties ferrum inutile ad latus hærens, aut humeris innixum, Victoriam exprobraret. Egregiè autem feciſti, vt abeuntes non ſolùm armis alligares ad erroris ſui pænitentiam, ſed potiſſimam quoq; partem deriperes. Ad Triumphum enim virtutis Tuæ pertinebat, humanitatem potentia commendare, & oſtendere, quod, quæ dediſti indulgenter, negare potuiſti. Tantum autem in poteſtatem redactum eſt æris ac ferri, vt æſtimare non poſſint, qui viderunt. Hoſtium certè eſt iudicium, quod extera ingenia in damna terrarum acuère, ſatis fuiſſe milliariæ Arci diruendæ, extorquendæ Prouinciæ, Regnis vnà ruina inuoluendis. Non improbabant fiduciam, qui ſingula conſpexêre. Inter plurimas molis admirandæ machinas,

oblongi ſunt tubi quidam, & æqualiter teretes, quorum ambitus ab vna parte, ad ſuſtinendum primum erumpentis ignis impetum, groſſior, in prodigioſam longitudinem excurrit. Prioribus temporibus naſcentis adhuc, & in conſuetudinem euntis operis vſus erat perquàm rarus, nunc licet vbiq; terrarum non infrequens habeatur, magnitudo tamen hic adeò auxit admirationem, vt niſi eſſent, exire in opus non poſſe viderentur. Nomina ipſa immane quid ſtrepunt, & quaſi iam audirentur, fulmineum in vocabulis explicant horrorem. Quid memorem ea, quæ vel in longum, ad maius ſpatium ſuperandum, extenſa iacent bellica tormenta, vel in arctiorem formam contracta capaciore hiatu ſurſum aperiuntur, vt in ſublime, globos aliaq; obturamenta flammis eluctantibus, noceant? Prætereo reliqua æneariarum fiſtularum portenta, & quidquid magni Imperij opes, in vſum belli annis multis effuderunt.

Tui

Tui gratiâ tantum videntur consecuta pondus, vt grauatè ferrent, si reducerentur. Tibi iam accendunt sublucente flammâ noctes in triumphum, in plausum mugiunt, in perniciem hostium tonitrua ac cælestes minas æmulantur. Neq; enim decet, vt sileant Victoriam, quam cum sensu quodam excepêre: aut perfidiam ictibus non exprobrent, cui inuité ancillabantur. aut tumultuoso non excutiant impulsu finibûs terrarum Barbaros, cùm obsequijs Tuis accesserunt. Et opportunè hic ego in eorum incidi memoriam, cùm ad apicem brumalis Tui laboris, obsidionisq; consummationem mea festinat Oratio. Iucundius enim est, & ad gloriæ Tuæ maiestatem augustius, spectare ipsas potius Legiones supplices, è carcere, quem æterna erexerant obstinatione, prodeuntes. Ibant illæ ex funestâ suarum calamitatum sede, velut ab inferis extractæ, nesciæ quid agerent potius, gauderentnè, quòd in vitam rena-

ſcerentur? an quererentur, quòd ocu-
los magnæ luci non aſſuetos, in publi-
cum Victoris Principis, atq; ſpectanti-
um Procerum theatrum eſſent expoſi-
turæ? Lucta profectò animorum, ſi
quæ vnquam, extitit grauiſſima, & co-
lores variorum affectuum indices in
vultu confligebant, nunc hilaritate
campum occupante, nunc pudore in-
ſtabili metus ſuos velut in aciem expli-
cante. Horam ignominiæ fatalem præ-
ceperant cogitatione, ludibria polluti
fœderis, vultus lætos partium, longum
per hoſtium oculos iter. Ad maciem
& vultum, vt dicunt, Hippocraticum,
cui diuturna obſidio ſupremum pene
vitæ diem impreſſerat, acceſſit Caudi-
næ pactionis memoria, aut ſimilitudo,
extrema ærumnarum appendix. Reuo-
caſſet illa propè poſtliminió ad famem,
niſi viuere, & Victorem cogitaſſent.
Tanta enim eſt Tuarum æſtimatio ac
gloria Victoriarum, vt pretium habe-
ant, quæ à Tua manu veniunt calami-
tates,

tates. Vulnerum ſuorum negligens eſt, quiſquis in Tuum gladium, Orbis domitorem, animo declinauit. Pleriq; Vmbris erant ſimiles; ad illorum tamen vicem, qui læta mærentes ſimulant, parem feſto aſpectum plauſui accepêre, ne triumphalibus oculis horrorem ſpectandum inferrent. Vniuerſi porrò in ordines digeſti certos, ad Auguſta vſq; Regiæ Tuæ Maieſtatis genua, infeſtos inter vultus, & triumphum ſpirantes ibant, lucis faſtidium ſuperabant eundì neceſſitate, formam omnis luctûs extemporali lætitiâ tegebant. Vexilla, quæ ſuper capita Hoſtium fulſère, ſub pedes Tuos ſternebãtur, quòd malè in perfidiam duxiſſent. Referri tamen iuſſa, poſtquam Victoriam ſenſerunt, & fiduciam ſub plantis contraxerunt veniendi in manus. Vidiſti tunc REX Potentiſſime, tot illius terræ Palatinos, Duces, Proceres, & omnium Anteſignanum Sehinum, ad tuos nutus procidiſſe, frontem rupto iureiurando

attritam ad inferros propè detulisse, pectus sceleris conscium ex more gentis, sacrilegij commonuisse. Juit quoq; sub triste iugum, Signum ac Nomen Viri, qui ficte dignitatis scenam diu iam in voce præferebat; cùm interim omnes ingentem, pudoris molem ex alto animo cierent, tanquam ferret iam ceruice pedes. Quid hic aliud facerent nobilissimi terrarum Ciues tuarum, quám lætitiâ in cœlum irent, felicem exitum gratularentur, de futuris victorijs Numen compellarent. Quem boni huius communio non afficeret, si res vitæ inopes, spiritum gestiendi à Te acceperunt? An enim tempora, quæ, vt hostem prælijs fractum morâ penitùs; cõminuerent, rigorem quendam Martium admiserunt, ad Tuum successum eâdem hilaritate, non plaudunt, quâ præcipitem liberali cæde fugam antea risêre? Borysthenem ipsum insolenti meatu ferocem Boreale constrinxerat gelu, quasi eo fine, vt eunte in duritiem

aquâ

aquâ ſubſiſteret, dum contumacia vincendi ſubſideret in hoſtibus. Jdcirco quamprimùm deditionem ſenſit, velut ſi lætitia glaciem laxaret, aluei impatiens in cornua exceſſit, nuncias Tuæ Victoriæ aquas terris ac mari infuſurus. Ibit porrò optatiſſima hæc belli proſperitas in ora poſterorum, terrorem Nominis Tui per Regna circumferet, Victorias promulgabit. Serpentħæ Laureæ in immortalitatem, in nouos pullulabunt Triumphos. id Deo agente, vt Regni Tui æuum per palmas eat, & nunquam niſi Inuictus audias. Pulcherrima eius rei iam ſuſpeximus argumenta. Quid enim eſt recens hæc Tuæ gubernationis ætas, quàm continuus quidam Victoriarum textus? Pauci tot laudibus longos Imperij finiuerunt annos, vt Tu primum cœpiſti. Dies æquauerunt fælices pugnæ; numero præliorum ſtant paria Trophæa. Aſpexiſti ereptas Barbaris Aquilas, captiuos abductos, exciſas ciuitates. Cùm Moſcos per-

persequeris, Turcas Scythasq; fusos accepisti. Torrens quidam Fortunæ Tibi demolitur Gentes, properat Victorias, Virtus Tua magnorum operum molitrix, cui iam vices omnes ambiguæ sortis obsecundare docuisti, omnia Tibi subicit. Jlla Te ex intimo sinu pacis & solij complexu, ad pacandos limites abripit semper, atq; impellit. Jlla non consilijs modò optimis, sed armis quoq; in aduersas partes detonat. Jlla post Castra nuper adempta, postremam Belli totius procellam in vniuersam effudit Moscouiam. Nimirum hic est inoffensus veræ gloriæ cursus, & Diuinitatis cuiusdam continuus vigor, perpetuo ferri ad magna motu, rem inclinatam in præceps vrgere. Hostem armat, suum quisquis ferrum breui silentio componit. Cunctatio alienas erigit ruinas, & violentiores suscitat tempestates. Vt enim corpora, quæ diuturna agitauit ægritudo, quiete conualescunt, ita inquietæ bellicis æstibus Terræ, ad robur sese pristi-

pristinum, morâ pacis recipiunt. Jlle itaq; omnes boni Jmperatoris partes abundè peregit qui eodem impetu infirmas conficit vires, quo incolumes ac vegetas lacerauit. Annibal certè magnam suis laudibus aspersit labem, quòd Victor, hæsitatione perire soleret, ijs clade, suâ vincentibus; qui cecidissent. Cúm Cannensem Victoriam stuperet; amisit Jtaliam. Magnus cæteris erat dotibus, & iudicio potissimum in æstimationem militaris rei intento. Fuisset ille æuo hoc, dicendorum arbiter Jmperatorum, Te profectò magnos inter Heroes primum celebrasset, in quo omnia, eminent bellicæ scientiæ ornamenta. Non enim satis esse iudicauisti amplitudini pectoris Tui tantâ sedere in Victoriâ. Secutus es animum Tuum, cui omnia se fata, impendunt. Transcendisti constantissimè attritum belli limen, fluentibus campis minimè retardatus, qui, cadente hyeme, palustri similes cæno, vestigia euntium admittebant.

bant.

bant. Nihil erat toto itineris tractu lubricum, in quo tua fortitudo nutaret: nihil difficile, quod ardor militum non euinceret. Sequebantur generosam mentem corpora robusta, solida, læta, vno hoc mæsta, quod adhuc properarent. Alis tanta egebat celeritas, quantam cogitatione conceperant. Neq; sic tamen lenta fuit profectio, quæ subitum hostibus attonitis, & maximarum rerum expectatione pendentibus terrorem præmisit, &, cùm perfecta fuisset, miscuit cædibus. Hic demùm eò me loci video constitutum, vt verba rebus gestis non possim paria reperire. Hæc est misera Oratorum conditio, quód meritis crescentibus nequeant pariter attollere dictionem. Si magnitudo operis æstimanda est, repit omnis facundia, quantumuis altissimo glorietur fastigio. Quid igitur mirum, si, cùm ad exitum propero Tuæ in Moscouiâ felicitatis, ipse quid potius, & quâ ratione dicam, subdubitem. Mirernè velocitatem,

tatem, quòd plurimæ eodem tempore munitiones tempeſtatem belli excepe-rint, agri populationem, oppida vaſti-tatem, tota hoſtilis Regio metum ac trepidationem? an ſucceſſum, quòd trophæis terram impleueris, ſigna ſæpi-us oblata calcaueris, Victorias nume-raueris prælijs, ſupplices conſpexeris Proceres, qui procurſum armorum de-precabàtur? an verò immortalem Tuæ prudentiæ gloriam, ac animi magnitu-dinem, quòd ita paci ineundæ impende-ris alloquia, ne otium bello interueni-ret? Videbas eam belli eſſe optimam fe-ſtinationem, quæ conſilia factis pro-moueret, & vrgeret victorijs diſcordes ſenſus ad exitum. Multos temperata ſpe & fæderis ſimulatione diſceptatio, planè hærentes in cauſâ, oſcitanteſq; conſopiuit. Habent hoc ignauæ indu-ciarum moræ, vt, cùm velut faſcino, confabulatione motum armorum in-tercipiunt, non hoſtes modò diuturni-tate reparatos, quaſi ſubitum fulmen, nil ta-

nil tale opinantibus obijciant, ſed languore etiam victrices copias atterant. Attentus igitur ſemper ac vigil, ne lenitas improuiſam parturiret audaciam, & iuſtæ iræ placamenta in perfidiam reuoluerentur, hoſtilia manu regebas conſilia. Et erat hoc grande momentum, non modò juris debito poſſeſſionem eripere, ſed Victorijs quoq́, dubitantes cogere. Nihil enim volebas, quod ferro extorquere non poſſes; eo diſcrimine, quòd facultatis maior ſemper apud Te ſit latitudo, quàm cupiditatis. Nam moderatio, & plenus Te ipſo animus metam ponit deſiderijs: at verò fortitudo: & generoſa magnificæ mentis inductio, ne Orbe quidem hoc definitur. Iſta cogitatio Hoſtes ſerio ac rigido Tuæ poteſtatis examine ſolicitos euertit. Infractum Tuum animum per ſucceſſus ferri, cùm diu multimq́; ſpectarent, auctoritati Tuæ cedere maluerunt, & iuſtitîæ partes inire, quàm nudis certare odijs. Quid Tuæ For-

Fortunæ negarent, quam facis? Cur varijs diu fluctuarent sententijs, aduersus quos districtam in manibus habes felicitatem? Ereptam quocirca reposuerunt Seueriam, terrarum spatijs amplissimam, ciuitatum copiâ opulentam, crebris instructam arcibus, vt de Tuo obsequium facerent potiùs, quàm obstinatis pectoribus ruinam augerent. Oppresserint licet fæcunditatem illius, direptiones frequentes, & pugnantium decursus, longè tamen fertilissima videtur, postquam gladijs exculta pacem protulit florentissimam. Pulcherrima est vbertas, cùm Terræ, quas ferro putasti, hostili rigasti cruore, victricibus plantis exculcasti, crescunt in decus Regni, & perennem incolis securitatem germinant. Existimauêre Antiqui Numen quoddam eo nomine maximé beatum, quòd ambulantis vestigia facili incremento flores, quasi pedibus plantati, sequerentur. Quid ad hanc dicerent prosperitatem, cùm progressus Tui

expli-

explicantur in palmas, efflorescunt in coronas, funduntur in trophæa, & latissimas terras Triumphis, velut Lauris, consitas, cæteris adijciunt Prouincijs? Pulchrum profectò ac memorabile facinus. Quis enim sperare potuit Seueriam, quæ prioribus temporibus per breuia raptabatur fædera, & alternis discerpebatur viribus, perpetuâ lege firmari potuisse atq; retineri? Vota ad hanc expectationem, & tàm remotæ Fiduciæ aram deerant. SIGISMVNDVS Pater Tuus eam Hostibus etiam eripuit; sed spem, quâ vnâ calamitates solamur, reliquit. Protulit eius possessione limites; sed securitatem non addidit perpetuam. Damnauit ius, quod iniquis armis fecerant; sed quoties vellent, potuit agi de nouo causa, & bellici strepitu fori tentari successus. At Tu eò rem deduxisti, vt, & desperationem eius iurauerint, & de non repetendâ legem tulerint. Magnificum erat, illam Barbaris eripere; quid quandam addere qua-

re quasi æternitatem? Gloriosum occupatam præsidijs retinere; quid concordiæ excubijs? Propulsare pericula armis, illustre atq; speciosum; quid togæ ostentatione? Itaq; tuti quietiq; viuent incolæ, apud quos ne metus quidẽ atq; amittendi formido remansit. Recreabũtur pacis quadam quasi immortalitate, exactæ tranquillitatis imaginem venerabuntur, nihil, quod respectandum sit sibi ac posteris, pertimescent, securi Diuorum puluinaria frequentabunt, quorum ope Tua stetit felicitas. Omnes Te Rege beatos ducent dies, & totam scient secundarum rerum ferre prosperitatem. O magnum optatissimæ fundatorem pacis! ò publicæ quietis Patronum, & Instauratorem Pâtriæ! O magnificum opus, quod inter innumeras gestientium populorum manus feretur ad vitam semper, & eripi laudationi non poterit, quod solers oculis gratitudo perpetim exhibebit. Quid hac esse potest Victoriâ gloriosius, in qua,

in qua, singulari temperamento, iusta ira, & mansuetudo vincit ac triumphat? quæ occupatam Prouinciam subditis, latissimum Moscouiæ Jmperium quietis Vicinis impleuit? Meritò itaq; Fama veris rumoribus fæcunda, Tuam vbiq; euulgat gloriam, vocibus in Scythicas vsq; ac Gotticas vrbes resonantibus, & mentes Hostium tristes lætâ confundentibus imagine fælicitatis. Hæc enim est Tuæ Virtutis magnitudo, vt ibi Te ponere possit, quò nuncium Tuorum successuum præmisit. J Fortunatissime Regum, quò Tua Te fortitudo optimis probata semper auspicijs ac euentu, quó Jura Regnorum, & publicæ salutis vocat necessitas. Nescit quiescere tam festinata vincendi maturitas, quæ vnius anni flexu portentosas afflixit vires, euertit conatus, terras ademit. Quid mora nō efficiet, si facilis ac expedita belli celeritas, omnia ad veteres Reipublicæ leges, auctoritate armorum ac imperio reuocauit? Deiecisti iam

Aquilas,

Aquilas, quas audacia & roboris æstimatio alto volatu in ſublime extulit; quid ſupereſt, niſi vt Ottomanicum calces Cœlum, & Lunam exeſo lumine mutilam, ad deliquium ſui compellas? Vt leges vagis feras Scythis, quas domi ſeruent? Tuis illi relicti ſunt viribus, vt, quod nemo hucuſq; præſtitit, optauêre tamen omnes, Tuas terras ignorent, dediſcant in finitimis municipijs ferro graſſari, liberam gentem opprimere ſeruitute. Tuæ decumani hi malorum fluctus, & inundatio Prædonum reprimenda debetur fortitudini. Tandem ſubitis laceratæ excurſionibus Prouinciæ, quibus gens moribus incondita ſæpè, velut quondam diluuio, ſtragem ſuperfundit, *Te* Ductore ſeſe recipiant. Neq; enim ſine cauſa, violatis fæderibus, Thraces tota belli mole aſſurgunt, niſi vt virtutis tuæ fulmen habeat, in quorum percuſſis corporibus perẽnem fundet ſecuritatem. Hoc à Te expectãt, &, quaſi iam poſſiderent, lætantur Fortuna-

tunatæ illæ terræ, quas noſter aut Hoſtilis ſanguis circumfuſus propè Inſulas effecit. Ita & nos vouemus, quotquot â Tuis ſucceſſibus pendemus, Victorijs viuimus, Triumphis recreamur.

SV-

# SVPREMA
# IN REGNO POLONIÆ
# META HONORIS
## QVAM
Jllustrissimus ac Reuerendissimus.

# IOANNES
# LIPSKI

ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS

LEGATVS NATVS

REGNI PRIMAS PRIMVSQ.
PRINCEPS CONSECVTVS.

SOLIDÆ AD HONOREM
CONTENTIONIS,

IMMORTALE VESTIGIVM
POSTERITATI RELIQVIT.

A

Collegio Calissiensi Societatis
JESV.

ANNO D. 1639.

METAQ. feruidis
Euitata rotis,
Terrarum DOMINOS euehit a
Deos.

*Horat:*

Exiguum nobis vitæ CVRRICV-
LVM Natura circumſcripſ[it]
immenſum gloriæ.

*Cicer: pro C: Rab.*

AD
ILLVSTRISSIMVM
AC REVERENDISSIMVM
DOMINVM,
# D. IOANNEM LIPSKI
*DEI GRATIA*
ARCHIEPISCOPVM GNE-
SNENSEM,
*LEGATVM NATVM,*
REGNI POLONIÆ PRIMATEM,
*PRIMVMQ; PRINCIPEM*

## PRÆFATIO.

MOLESTVM *est, semper vitam inchoare* ILLVSTRISSIME PRINCEPS. *Fœda hominum leuitas! Nemo suscepto munere perfungi eátenus cœpit, ut desinere nolit: nemo desijt quin desijsse*

K *pœni-*

pœniteat. Noua in horas vitæ initia ordimur: iam victuri, nondum vivi, semper exanimes. Re vera, nullius non vita spectat in crastinum. Vota ex votis serimus. Omnia tentamus: serio nihil tenemus, & quæ modo cupimus, modo fugimus. Tam facilè optata relinquimus, quàm sectamur. Adeò inter freta cupiditatum iactamur, vsqueadeò collidimur, tàm fœdè æstuamus! Omnia cupidi gustamus. Vix aliquid digeritur, fortuitò raptum: & ferè spes obuias nonnisi lingimus. Nempè animus quidlibet pertæsus, nihil non fastidiet. Et si enim humanæ cupiditati nihil satis sit, nihil tamen fastidio non sit. Nec verò satis vspiam fuerit, in quo aliquid extremum est. Quanquam Ambitionis est ingenium, fastidire omnia, eo nomine, quòd non sufficiant, quæ semel expleant odisse. Equidem non fallo. Nihil homini satis est, nisi quod satis non est. Planè ad maiora nascimur. Veriùs dixi, ad vlteriora. META votorum nulla. Ab initijs ad initia redimus. Perpetuò retexímus Fata.

Diuinè

*Diuinè Senecæ.* Omnia Hominum Negotia, similia initijs, nec vita illorum magis seria, quam CONCEPTVS JNCHOATI. *Ita penitus. Viuitur promisso. Speramus vt speremus. Cœptis ingentibus grandia pollicemur Ausa: interim nihil magnum, nihil seuerum, ac ne serium quidem in tanto apparatu. Sanè ex medulla veritatis profluxit Oraculum: Humana Negotia & Conatus, esse inchoatos Conceptus Toti nunquã sumus. Quotidie vitam inchoamus. Non METAM, sed cursum in cursu quærimus. Multi fortunato passu ad Honoris METAM eluctati, præfixam curriculo palmam assecuti, nemo satis exclamet VENI, quin stimulus cupiditatis, scrupulum vltra Calpen eundi obijciat. Nemo quantùmuis Celsitatem suam atquè Amplitudinem suspexerit, ingenuè fateatur VIDI. Nemo inter Strages, Ruinas, Cædes, Excidia, Bellis iam Orbe exhausto, receptui occinet VICI. Nemini non satis Gloria, Honores, Opes, Facultates, nemo satis Gloria, Opibus, cæte-*

*risq; vel animi, vel corporis Bonis vixit. Sic, cùm Ambitioni non tám iucundum sit multos post se videre, quàm graue ante se: fit, vt METAM teneamus nunquam, dum prauenire nitimur. Atquè hic est humanæ vitæ cursus ILLVSTRISSIME PRINCEPS, dißimilis TVÆ. Nihil in TE leuitas insolentis Fortunæ, nihil lubricæ rerum Vices, nihil animi inconstantia, aut Fatorum perpetuus refluxus, aut deniquè dubius & anceps Vulgi sensus peruidebat se profecturum: ac, si illud aliquid, id certè non diuturnum. Intulisti pedem ex Circo in METAM: per diuersa iactatus aliquantùm (non TVO sed illorum qui Tecum cursu conflixerunt, discrimine) solido tandem paßu constitisti: an hæsisti magis? Nequè enim alter Fortunæ TVI Curriculi impetum ex inopinato ac velut ex insidiis, vt olim Penelope sui Vlyßei inter fauces Isthmicas ancheram intercepit. Nequiequam TIBI eiusmodi promittebas: non quòd de magnitudine meritorum Tuorum Respubl: ambigeret, sed*

*mode-*

modestia TVA dubitaret. Hic demum METAM Tuorum & Votorum & Vouentium reperisti. Quasi iam ante præmissus ac promissus à Regni Ciuibus hospes in METAM, apud Aquilæ Nidum expectabare: quo loci Tu, Fortunaq; Tua cursum posuistis, illa quod sublimis trahere, Tu quòd ascendere & nolles, & nequires. Stetisti in META Spes Tuas emensus: planè sine metu, dum non sine META. Plerumq; enim Spes METAM fugit: spem metus sequitur. Desijsti ancipitem Fortunæ aleam formidare, dum sperare altiora in Regno Poloniæ desijsti Atq; cùm passim ad Summa gradum porrigat gradus, TVÆ Celsitati Honor satis est vnus: imo præterea satis est nullus. Debebatur certè Virtuti Tuæ vt sic stares, qui sic eminebas. Plerisq; tamen finis eundi est, iacuisse, dum ad maiora meritis anhelantes, profuso impetu turpiter à sua spe deiecti iacent, quo stare loco debuerant. Cauisti iam olim, nihil attingere velles, quod TVA Magnitudine non attrectares ante. Dabis itaq;

 veniam

veniam ILLVSTRISSIME PRINCEPS, si tanti, tàm excelsi fastigij conum ascendenti, pedibus TVIS hanc inclinati animi consignatam paginam adsternam. An forte asse fiat. ut hac stragula Magnitudini TVÆ subiecta altior deniq; in oculis Reipupl: appareas. Nec mirêre dicendi aut scribendi de rebus TVIS licentiam; Magnitudo TVA calamo audaciam suggessit, ut pennam explicaret. Nempè cuilibet de TVA Celsitate loquẽdi, æqualis libertas est: in qua laudanda nemo minor est, cùm TV nullis Panegyribus maior reddi possis. Neq; ego illustrare volui splendorem TVVM, sed prodere. Nam quid ego hic guttas aliquot atramenti profudi? nisi & sic TVA lux obscuro dicendi genere temperata, faciliùs oculos intuentium subintret. Illud vnum Oratoribus, ac Poetis In TE graue admodum visum, quòd tropos non admittis. ita illustrant, vt colores non appareant. Adeò tamen pudorem posui, vt loqui præsumam: futurum adpromittens, vt præclarè gestorum vbertate, dicendi tenui-

tenuitas exæquetur. Plurima TVA non dixi, quòd frontis TVÆ verecundia, dicendo mihi interdixit. Nihil tamen hic alienum á TE, nihil pinxit vel finxit animus inclinatus, omnia TVA: quin fato quo nescio accidit, vt non à longè TVVS eßet, qui scriberet. Reliquum est, VIVE, VIGE, VALE.

DIVæ

DIVÆ MEMORIÆ
# POSTERORVM
*VVLGATO VIRTVTI CVRRICVLO*
*I T V R I S*
*P E R*
JMMANES TERRARVM OBIECTVS:
*A D*
JMMVNES TERRORVM OLYMPOS;
*P E R*
CONSERTOS FATORVM CVNEOS,
*A D*
LVBRICA PRÆMIA STADIORVM;
*P E R*
LACERTOSOS DISCRIMINVM OBICES
*A D*
PRÆLVSTRIA DECORVM IVGA;
*P E R*
ANHELANTES IMPETVS ÆMVLORVM
*A D*
PROCERAS TITVLORVM ARCES;
*P E R*
FVLMINANTES NIMBORVM PROCELLAS
*A D*
SECVRAM MORTALITATIS LAVRVM
*P E R*
PRORVTAM JNVIDORVM STRAGEM
*A D*
VNIVS PALMI INTERDVM PALMAM,
*P E R*
DENSOS OBIACENTVM ACERVOS
CONATVVM. AD ME-

# AD METAM HONORIS.

SVrgetis? Io surgite Posteri
Intaminatæ puluere gloriæ
Per Alta Terrarum citatis
Paßibus, ingenuosquè præter
Cliuos Honesti! Quisquis inutili
Fœdo sepultus subter & otio
Occumbis Ausu, nec vetustis
Laude recens tumulis Auorum
Affundis æuum: deme fluentibus
Obliuiosæ dem̄e Acherontiæ
Ceris senectam. O quæ supinis
Facta tacent animosa bustis
Mœrentquè turpi serta silentio!
Prô non decoro quas cinere oblitas
Celant cicatrices! pudenda
Iam carie senioquè manans
Actus inertes Patrum; & Imagines
Sui verecundas, malè decolor
Ærugo lambit: nec nouarum
Semina conseruiße Laudum
Nec Gesta retro, deterioribus
Sarcimus annis. Iam nisi fragmina
Hinc inde Magnarum relucent
Mentium, & ingenij ruinæ RA-

*Rara videri. Nemo adèo vetus*
*Instaurat æuum seriò, & infrequens*
*Oblita iam, factis refinxit*
*Decrepita monumenta Famæ,*
*Segnes creamur Fortibus, impij*
*Bonis, timendum non vacuo metu;*
*Ne magna cum pulchris Parentum*
*Corpora detumulemus Ausis.*
*Sic Nos Auorum vultibus vltima*
*Mundi senectus exuit, affabre*
*Natis redonatos? Sed ite,*
*Magnanimo ruitura passu*
*Per Posterorum Secula Posteri,*
*Exempla seris ite Nepotibus*
*Olim redorsuris parate;*
*Non humili geminanda Nisu*
*Nam Te viuoso Gloria Carpato,*
*Hæmumq; iuxta, ac Othryn, & inclytis*
*Iugis Decôrum, & fabulosis*
*Verticibus genuisse Pindi*
*Polone fertur. Succute desidem*
*Fractis cubantem rebus inertiam*
*Quisquis sub antiqui inuolucro*
*Sanguinis, egregios probrose*

In ob-

In obsoletæ Tramite Gloriæ
Edormit Ausus, Io recentibus
Vestigiis Magni IOANNIS,
Quà Soleis iter, & Sagittis
Insiste LIPSKI: quò volat incita
Virtus Decoro; donec ad vltimam
Euecta per Prærupta METAM,
Verticibus Titulorum acutis
Sedisse gaudet. Quantus in edito
Intaminati prominet Arcibus
Apex Honesti! aut qualis illas
Colla Labor posuisse nubes
Meretur inter! Te minor audiet
Olim futuræ messis Adoreæ
Sero renarratum Nepoti
Quadriiugo volitâsse curru
Ad METAM HONORIS Te Mareoticas,
Pontemquê, & vltra differet Insulas
Per Regna, dum formidolosos
Rerũ Apices, humilesquè pulchro
Colles Decori præter, & inuium
Ibit volatu Gloria Caucasum:
Nec Fata post, Letho daturus
Aut Cineri spolium caduco.

O quã

*O quà reclinem Gloria in Arduo*
*Virtusquè fixit, sta super inclytos*
*Cliuosquè Terrarum, & iugosæ*
*Laudis iter Meritis repensum*

# META HONORIS
## *SVPREMO*
## REGNI POLONIÆ PRINCIPI
# IOANNI LIPSKI
## *MAGNO, CONSTANTI, FORTVNATO*
## IMMORTALIS GLORIÆ
## ATHLETÆ
## *E VOTO PATRIÆ PRÆMIA EXSOLVENTIS*
## DESTINATA

ORIRI demum omni diſſipata caligine, in ſumma Regni neceſſitate, atq; afflicto Religionis ſtatu, debuiſti JLLVSTRISSIME PRINCEPS; cuius tam ominato exortu, reliqua partim fœdo interitu iacentia, partim ad funeſtos occaſus miſerè inclinata, Tuis deniq; nuper ſuſpenſa ab humeris, fortunato Tuæ Magnitudinis aſcenſu fuiſſent erecta. Diu TE vna omnium voce ac voto, à ſuperis Fatiſq; Reſpubl: poſtulauit, quæ Tuæ Virtuti, Fidei, Feli-

licita-

licitatis, Publicam Regni salutem, Præsidium, Securitatem, Voueret, cuius autoritate Humana Diuinaq; his temporibus eguerunt. Stetit tam fideli spõsione suffragiorum Fortuna, ne tot tantisq; Regni & Regum calculis obruta depressaquè, infra Tvam Magnitudinem proiecta iaceret, nisi suam molem ad Tvæ Celsitatis conspectum, tributarium Honorem meritis pensura, erexisset, Ac Fortunæ quidem non alia Tvæ virtutis æstimatio fuit, quàm Patriæ: sed vtriusquè relicta pensione ad numeros merita reuocare statuisti, an apud Te par esset ratio acceptorum & datorum; cùm interim fraude ingenua fretus, moram interponeres capessendo Honori; quem reijcère, sine graui contumelia in Fortunam integrum non erat, Multò ante in amplexum ruere anhelabat Fortuna, quasi ad consecutionem Tvi irritata, quam demum diuturno commitatu Seruituti Tvæ penitus obligatam, ad Publicæ Felicitatis

accessi-

accessionem adduxisti, Fortunâ cumulaturus Fortunam: ac è vestigio redditurus Patriæ, quantum illud in Te beneficij collocauisset. Postulabat verò eximia Virtutis Tvæ proceritas, vt Supremi Honoris in Republica Nidum, concordi Regni consensu, & egregia Regiâ voluntate, teneres aliquando; quem insigni meritorum statura omnibus numeris absoluta exæquatum tangere videbare. Subsedisti nuper modestiùs inter minores Insularum Cliuos, ne cùm omnis Magnus scilicet stetisses, spes æmulas Tva penitus excluderet Magnitudo, quibus aliter non successit votum, nisi Tv cessisti. Animosa Herculis apud Ilissum ignauia: ad Carceres Olympiorum volaturus, primæ contentioni injectis frenis, simulatâ animi inertiâ, solo accubuit; donec viribus exaggeratis velut expergefactus, fortissimus Cursor gloriæ, tertio passu sui Curriculi, METAM à tergo reliquit. Præuolare Tuæ Magnitudinis molem non erat

ingen-

ingentis operæ, si desultoria contentione ad Arcem Honesti eniti voluisses: Magnitudine saltum supplere maluisti: ne quem virtutis passum, desultorius Ambitus in partes suas vendicaret. Vulgatâ Magnis mentibus areâ, per densos aceruos meritorum, ad METAM eluctandum arbitratus es: ne ad inconstantis Fortunæ salire cognationem, sed immortali lucta, magnos in Maîorum Actus, posthumas Ætates vná Tecum, erigere videreris. Virtutem non Patriam queror; seriùs Te quàm erat iustum, ant futurum speraret Respubl: ad Regni Aram & Supremi Honoris NIDVM euasisse: Tva Te Magnitudo tardauit. Plerumq; altæ moles ignauos tulerunt impetus. Regnum suspicatus Romulus ambiri, eiecit humanis, qui saltu pedum mænia circumuenta superauit; adeóq; vna illa clade, toto Orbe, cuius imperio fruiturus erat, exturbauit; quòd Vrbi Remus insultauisset. Ineptum Fata censuerunt Regem, qui saliret, Neq; hic

Magni-

Magnitudini Tuæ obiectam ignauiam, ad consequendos veræ virtutis fructus interpreteris, quos in dignitate semper fuisse sitos, rectè iudicàrunt *Sapientes*: cùm longè mâgis expedito cursu ad Honesti rationes contendisses, quã cæteri cupiditate nescio qua scelerum, misera funestaq; compulsi, in morum, vitæq; corruptelam feruntur. Ea Te celeritate, meritis affixum erigebas, ne vltra merita Celsitatem Tuam attolleres, si fortasse Fortunæ leuitate correptus, relictis infra meritis, ad Nidum, Honoris venires euectus. Inhærebas merendo, cùm plerió; prensandis Fastigijs æquo iustiùs dediti, ad lucra incũberent. Hæc sola scilicet in Te desidia videri poterat, quòd Fortunæ altam meritorum congeriem obiecisti, ne nisi vno eodemq; passu, quo merita, votorum portum tenuisset. Magnarum illa molium ingenia, ægerrimè in altum erigi. Non erat ceratis pennis Tibi connitendum, Maiorum exempla æmulari studuisti:

duisti: quorum amplissima vestigia, non angustos saltus apud Te destinares. Sciebas, proceras mentes, & ingentes animos, quicquam, nisi ex composito ac graui passu audere, vel moliri, humiles Animas etiam in periodo salire. Saltum illis non inuideres: quorum aliter institutos cursus, putâras præuolandos, nisi ad contrectandos Honores subsilirent. Abstinuisti ipse, ne aliquam suspicionem Tui pareres præuertendi: si per assuetudinem insolescentis Fortunæ, ad præmia in Republ: proposita saltum festinares. Nemo magnus aut in benè merendo serius. Fortunæ gesticulator furit. Epirotarum nemo sanus salijt. Contemptu præuenisti, quà præuenturam Ambitionem opinareris: nec in ijs præcurrendus, quæ ingenua fronte spreta, magnanimitati posthaberes. dum primis relinquis contempta, quám plerique consequuntur. Scilicet METAM non palmam collineare natus, prædam illis relinquendam putauisti, quibus victoriam cre-

am ereptam contemptis ſpolijs redimeres. Neq; mirabar vnquam præmia ad illos tranſiiſſe, quos in Tvis grandibus veſtigijs fluitantes, operiri debuiſti apud lauream, quam non decocto ac depleto puluere, iam tum deperirent. Nemo quidem Regni Ciuium erat, qui vel inuidiâ vel æmulatione, acerrimam Tvæ celeritatem benè merendi de Patria interceptam vellet, cæteròqui tanto maiori pernicitate, fractis omnis areæ repagulis, per prorutam Fatorum ſtragem per confertiſſimos obſtantis Fortunæ conatus, ad METAM immortalitatis excurriſſes: non ignarus magna flumina aggerum obiectu diſtenta, ad impetum, & ferociam inundationis irritari. Jllud de Virtutis Tuæ curriculo ad conſequendam gloriam longè expeditiſſimo, iure optimo dicendum erat: nihil vſpiam extitiſſe eiuſmodi, quod Tvam Magnitudinem, vaſto impetu ad ſumma colluctantem, ab honeſto virtutis & gloriæ curſu reuocare poſſet, quem

ab incu-

nabulis, omnia summa & honesta, suo iuri destinârant vindicandum; vt non immeritò cæteris commodatam, Tibi innatam dignitatem fuisse intelligam; cuius primordia quemadmodum insignem virtutis speciem perseferre, ita spem felicibus initijs innutritam polliceri videbantur. Tantum aberat vt obicem fortissimus Honesti Athleta formidares, quin adeò mira quadam Fatorum conspiratione, omnia impedita, & ardua, quæ calcares, quasi Tvo fortunato excursu depressa, in planum redirent: atq; ad Tva vestigia omnem difficultatem virtuti obijci solitam, feræ posteritati explanarent. Franguntur aduersa, vt plana fiant, deijciuntur obstantia, iaceant: neq; hæc nisi steterint, obstitisse, nec illa, fracta aduersitate, repugnare valuerunt. Omnem impetum Fortuna Tvo conatui elocauisset, si non solidæ contentionis vestigio, sed volucris aleæ ambiguo volatu, animi Tvi studia, in altissimum Regni fastigium proue-

prouehere contendisses; verùm vbi TECVM Magnitudinem Tvam penitiùs expendis, missa Fortunæ leuitate, quod animi Tvi molem deceret, non quod volubilis cupiditatis inconstantia gerundum postularet, præstitisti. Nempe: tutiùs se grandia volutant, quam volant. Atq; cùm ille cursus rerum TVARVM fuissent; de cuius celeritate omnia suspicari Fortuna, credidisse voluit nihil: ita demum actum est, vt Fortunæ ipsius expectationem vicisses; dum Tvis humeris in Apicem Regni euecta, Tuæ Magnitudinis incremeto creuit: quæ dubio procul iaceret minor, nisi virtutis Tvæ uehiculo tracta, in Arcem Honoris adducta fuisset: vt enim vmbra, figuram corporis imitatur; ita Fortunæ status ad staturam Fortium variat; ad perpetua vicissitudine, situm volubilem efingit: humili quidem pectore reposita, de sua maiestate, non nihil remittit; egregiè verò suam tenuitatem instaurat, quando illam, manu Fortium accidat

contrectari. Magnitudo Tva, & Graui-
tas JLLVSTRISSIME PRINCEPS,
Fortunam extulit: quemadmodum am-
pla & oneraria nauis, pelagi vndam in
altum errigere consueuit. Stetisti; atq;
adeò omnem Regni Apicem in hoc v
no complexus, summa omnia, Tuo &
Tuorum auspicio feliciter obsedisti
velut vno passu occupata; ne per amba-
ges inuidæ Sortis iactareris, sed altern
pede ad Maiorem DIVI HONORIS Aram,
ab Atrijs Regum, insignes progressus,
omni spe, quia & Fortunâ consumpta,
explenisses. Neq; priùs Nidum Aquil
fas erat accessisse, quàm Augustum Pa
Aquilarum, Regni, & Imperij, VLA-
DISLAVM, & RENATAM, ad conu
bialem Regalis consortij Nidum, pro-
nubus inuitasses Orator. Nouus Me
curius qui Tædas præferebas. Olim
Pelopidam, simulacrum aquilæ ef
xisse legimus; quæ Hymænis linguam
fulmineis vnguibus præstrictam te
ret: nesciuit malè præsaga Antiquit

futu-

futurum fuisse, aliquando, qui di-
cendo Aquilas coniugaret. Omnipo-
tens quiddam est Eloquentia Tva, Se-
nator Regni amplissime: quæ non vnâ
Periclis Græciam, sed Regna, ac Impe-
ria longè latèquè peruagata, attica di-
cendi vbertate permiscuit: cùm Avstri-
acis Jagellones solidiore cognationis
contextu irretitos, ac veluti aureâ cate-
nâ verborum vinctos, in triumphum a-
gnati sanguinis ducendos, fortissimè
obfirmauit. Non alia præda tàm elo-
quens aucupium decuit; nec, adeò diui-
tem prædam, nisi tàm disertum rete ce-
pisset. Tacebit Pyrrhus Cyneam, non
ferro, sed oratione hostes triumphantē,
iactantiæ moram non habiturus, cùm
Orbis totius pleno ore loquetur posteri-
tas, non vrbes subiugatas, non hostium
fractam, ant contusam ferociam, non
immanitatem barbarorum edomitam;
verùm Reginas, in deditionem Regalis
consortij, summa Tva, ac pænè diuina
vi dicendi, pertrahi potuisse: adeoq;

Rhenum, Albim, Odram, Danubium, Oceanum triumphatos; postquam A v-stria Fluuios, in VLADISLAI maritalem accessionem fluere, persuasisti. Sciet Europa, tanta Te, & tàm mira dicendi strenuitate valuisse, quæ persuaderet pudori. Potuit tam insignis fandi copia, quæcunq; Fortuna placuisset impetranda, aures VLADISLAI semper æquas meritis periclitari, sinè repulsæ periculo; haud temeré adpromittens fore, non segniter in postulata concessurum, cui sua oratione impetrauit, id, quod in summis vtraq; Maiestas reputaret: noluisti, ne in Tua causa, quam publica, magis disertus fuisses, aut venalem eloquentiam cum Democrate habuisse viderere, qui dicendi affluentiam, lucri opulentiâ monuit metiendiam. Noueras Honesta sine censu nobilius vendi, æquius parari quam emi. Et verò cum ab ore multorum de Tua eloquentia, grauissimus hic manauisset sermo; non ad strepitus forenses,

renses, sed ad Regum, ac Principum consilia lucubranda natam, facilé illa de TE suspicio, plerisq; inuidenda, ab ore Reipubl: in animos Ciuium profecta est, summos Honores vltrò peroraturos pro TE, apud Patriam, vel ea sola commendatione, quòd in dicendo summus & esses & haberis. Doluit tamen grauissimè, ac vehementer angebatur Respubl: tam diuturno tempore, Eloquētiam TVAM à TE solo vel contemptam, vel ignoratam cuius operâ, in concilianda Regum attentione in persuadendis Tuis votis optatisq;, & rectè nolles & sapientissimè nescires vti. Scilicet, inæstimabilis Eloquentia TVA fuerit, quam nulla pensione mercedis, æstimari voluisti. Meminerunt Magni Regū Manes, inusitatam Europæ dicendi aciem, quâ pro pullatis Regni Rostris, in Obitu SIGISMVNDI III, & CONSTANTIÆ, indubitatò acturus fuisti, nisi ante Orationem, magno animi dolore, ex vtriusq; Maiestatis Funere,

L grauis-

grauiſſimé acceptus, ad alios dicendi Prouinciam tranſtuliſſes: veritus, ne in publico Patriæ ſingultu, truncata, & obluctantia luctui verba temerè extruderes; cui ſcribendi copiam lachrymæ fecerunt, linguâ interdixerunt. Feciſſent tamen Superi! vt in communi Poloniæ luctu, in ſumma omnium expectatione, loquereris. viciſti expectationem Patriæ dum taceres: ſciebas neminem, de tanta, illa ſcilicet, Maieſtate, digniùs locuturum fuiſſe, quàm ſi tacuiſſet; præſertim in ea dicendi libertate, & copia, quam & VLADISLAVS, & natura faciebant. Cùm verò, propè centum Oratores Orbis miſiſſet, qui lugenti Reipublicæ ſolatio forent; nihil ſatis ad ſolatium fuit; quamdiu in Sereniſſimo Regum rogo, mæror ac luctus atrati fumarent. TVA demum expectabatur Oratio: ita enim futurum credidit Polonia, incredibili vi Eloquētiæ TVÆ, ad vitam Reges reuocandos; niſi immortales fuiſſent. Nempé, non

alia Fa-

alia Fatorum sanctione tacendum Tibimet indixeras, quam vt collecto pectore, quasi recenti spiritu, apud FERDINANDVM perorares: neq; aliter tantum & tam acre Eloquentiæ certamen inter Æschinem ac Demosthenem dirempturus fuit Epaminondas, nisi alter ad funereas faces, alter ad connubiales Tædas, loqueretur: vterquè strenuus, felix vterquè, ille, quia ad Sceptra, Regum Funera, magna dicendi contentione cupijt suscitanda: hic, quòd SIGISMVNDI stirpe ad VLADISLAVM reuocata, SIGISMVNDVM ad vitam suscitauit. Sciet Posteritas, (quanquam non sine magnis impensis gratiarum) à JOANNE LIPSKI, gente Ladicio, grandes Regni, & Jmperij Aquilas, ad vnum Nidum, imò ad vnum caput impulsas: tandemque, serò licet credetis Posteri, extra fabulam Orpheos reperiri potuisse, qui Flumina, ad connubia dicendo pellexerunt. TIBI JLLVSTRISSIME PRINCEPS Polonia debebit

VLADISLAOS, CASIMIROS, SIGISMVNDOS, qui ex tanto, tam Augusto Aquilarum connubio, pullulabunt. ita fiet, vt ad nouas Regum inaugurationes, noua recordatione posterorum, memoria TVA efflorescat. Planè in TE demum, post OSSOLINIOS, Sarmatiæ Eloquentiam Imperium agnouit vberrimè: sed ineptam semper ad dicendum Roma putauisset Arcton; nec iniuria, quæ linguam congelatam circumferret, nisi & TV Sarmatiæ Eloquentiam, Imperio persuasisses. Itaq; totius Imperij obtutum in TE abstulisti, dum Tuâ Eloquentiâ defixum hæreret, TV pro VLADISLAO apud FERDINANDVM, an pro Te peroraret apud VLADISLAVM Imperator: cum Te prorsus in suscepta Legatione gessisti, vt Imperium dubitaret, ad functiones eiusmodi Fortuna Te nasci voluisset: soluit dubitationem eventus, dum JOANNEM LIPSKI, LEGATVM NATVM Regni Poloniæ esse, palam Europâ est; vt id à natura profe-

ctum

ctum in Te videatur; quod in cæteros à Fortuna. Prudens Patria, publicum Europæ ſuffragium, de ſuſcepti muneris perfunctione, repoſcebat priùs, quàm ſacer Regni Legatus creareris. Reſpondiſti ſtrenuè Reipubl: quæ TVAM operã in illa orbis frequentia, in denſa Imperij concione, in ampliſſimo Europæ theatro, pertentauit: atq; conſecutus es, vt nulla ſui parte, TVA Legatio deſiderari poſſet, præter, quam REX Regnũquè, in aduentu RENATÆ poſitam cupiiſſent. Multa mihi de Virtutis TVÆ contentione dicenda ſupererant PRINCEPS ILLVSTRISSIME, niſi neſcius non eſſem; omnia iam ante, quæ narrando perſequi cogitarem, ab eius ore recenſita, quam TVÆ Virtutis, ac contentionis teſtem locupletiſſimam, in Rempubl: attuliſſes. verbo dicam (quanquam maior numerus apud TE geſtorum, quam mihi verborum,) omnis Athletici curſus, diu multumquè ad immortalitatem incumbentis, tot

rerum à TE præclarè, gestarum, quæ vel Tuâ modestiâ inuelatæ, vel aliorum inuidiâ viderentur obscuratæ, legationem illam, accuratam fuisse epitomen. Egregiè obliuioni Posterorum, consultum venisti; dum hoc vno cursu memorato, reliqua à TE præstita, posthumæ Ætates ad memoriam reuocabunt: excurristi vltra Patriam, cuius magnis passibus, non satis spatij in Patria fuisset: cauisti tamen, ne, non in Patria, falcem in messem Titulorum, iactam fecisses, licet extra noualem Reipubl: fortes ausus seuisti,: alienum abs TE quidlibet arbitratus, quod non Patria contulisset. Nemo rectè, suum Honorem scripsit, qui nec Patriæ fuit. Redijsti, summa cum omnium voluptate, in Patriam, quasi à META ad palmam: laturus præmium TVÆ functionis, quam absolutã, non expeditam tantum, Respubl: fatebatur, dum TIBI tantum, nempè Supremum Honorem censuit deferendum fecit, vt Archipater Patriæ diceretc, cui

Matrem

Matrem Patriæ attulisses. Etsi verò, tàm insigni laudis curriculo iam confecto, veluti omni Eloquentia apud FERDINANDVM relicta, in Republ: verecundus pro TVA causa Orator (scimus enim) taceres: perorabat interim pro TE SIGISMVNDVS & CONSTANTIA, quorum egregiam in TE voluntatem, nisi Fata præuertissent, in altissima Regni Infula exolutam spectauisses: perorabat pro TE Alexander ille, in quo Alexandros Polonia vidisse potuit, si Alexander diu iùs Poloniam videre potuisset, atq; ego sic existimo: noluit Alexander præterire silentio apud Superos Eloquentiam TVAM, cuius auctoritate, ab ore, & sermone posteritatis suspensus, etiam in caducis partam immortalitatem recepisset, quam acerba lethi vis, præmaturo ab humanis discessu, consequi Alexandrum rebus gestis vetuit. Perorabat pro TE RENATA, relinquens testatissimum, quantùm TIBI obstricta sit, quæ animum VLADISLAI

erga ſe, primúm in TVA cauſa voluit experiri: peroraqat pro TE, apud ſe VLADISLAVS; Cœli demum, Terrarumq; vota, contra TVAM taciturnitatem conſpirârant, quin adeò, TE tacente, res TVÆ geſtæ pro TE perorabant, loquebatur Religio, flagitabat Reſpublica, monebant Fata, poſtulabat pro ſuo Alumno, Magnus ille KARNKOVVSKI, quem loqui non deſinet poſteritas, dum Eloquentiæ domicilium ab illo poſitum, aut alet Oratores, aut parturiet. Perorabat deniq; ſacer Oratorum exercitus, neq; atratis precibus, tametſi pullatus, ſed lachrymâ elutis votis circumfuſus, plorabat veriùs, quàm implorabat. Ceſſit tantæ votorum aciei impar Cœlum, ne rueret, ſi obſtitiſſet: ceſſiſti & TV ſemel, ne tanta vi, tantoq; impetu Fortunæ ſemper prehendenti, ampliùs cederes: quem toties, in altum ſumma contentione protruderent Fata, donec tandem, in Apice Regni, ad Supremam Honoris METAM eluctatus, Magnus, Cõſtans,

ſtatis, Fortunatus, immortalis gloriæ Athleta conſtitiſſes. Hic demum, poſt tot ſpes decoctas, tales ac tantos labores exantlatos, Celſitati TVÆ ſub mole Fortunæ reſpirandum, mihi, omni oratione maior, ingens TVA Fortuna, tacendum indixit.

INTERIM

PER MAGNOS PASSVS

PROCERÆ VIRTVTIS,

CALCATVS HONORIS CLIVVS

IMMORTALES CICATRICES

VESTIGIORVM FERET,

DVM

VENTIS FORMIDATVM,

SECVRA TVRBINIS MAGNITVDO

INVIOLATO PVLVERE,

PERENNEM OLYMPVM

ÆTERNITATI

SERVABIT.

QVA

*IMMORTALIS SOLEA,*
PER VESTIGATOS VVLTVS
SEMISEPVLTÆ ANTIQVITATIS,
AD MAIOREM DIVI HONORIS ARAM
*MAGNIS PASSIBVS ELVCTATA,*
*VLLA OBLIVIONE*
JMMEDICABILIA VVLNERA
ÆTERNÆ POSTERITATIS MEMORIÆ
*INCVLCAVIT.*

AT

*QVORVM SEMIMEM-*
*BRES PASSVS.*
MAGNARVM MENTIVM
GRAVIBVS VESTIGIIS,
DESVLTORIVS AMBITVS
*ÆQVAVIT,*
SANCTO SVDORI
PVLVEREM INNATANTEM,
*SVPPLICI VVLTV*
*ADMORSA HVMO,*
INDECORES LAMBITE:

DONEC
MAIORES PASSVS
IMPAR AMBIRE,
CONSERTIS FAVCIBVS,
DEGENERES MORSVS
SATIS CASTIGAVIT LIVOR.
HAC
QVOS VOLITARE MAGNOS
PER AVSVS
HORTATRIX IMPVLIT GLORIA
ARASQ. PERMVTARE ARMIS
SANCTVS FLAMMAVIT CVPIDO.

*NEC nos mersa suis clarabunt bella ruinis*
*Nec per cruentas Bistonum maior domos*
*Trans Boream Pontiq. truces Aquilonibus vndas*
*Trans & natantem barbaro lunam freto*
*Ibis; Abydenas frustra est rescindere ferro*
*Turres, & egesto orbe fractum illidere.*
*Regna per & populos: Libyæ si bellat adulter*
*Ensis, in abacti vindicem tori manum,*
*Subter & incesto miscemus prælia scuto,*
*In auspicatis proditi malè mænibus,*
*Ite sub obscænam Rhodopē, quà vedit amores*
*Suâ coëmptos clade vendibilis pudor.*

*Pollutas*

*Pollutas contra luctari impunè Mycænas*
*Imbelle, ferro quolibet septum, scelus.*
*Nec si Regum Apices inter componere Nidos,*
*Abominato simplicis tecti lare.*
*Fas fuerit Lechi! super & calcare tumultu*
*Non indecoro aulæ sequacis orbitam.*
*Magnorũque penes latera alta impendimus æuũ.*
*Frustra superbis turribus Ducum super.*
*Si piger immeritum illecebris pellexit honorem*
*Qui funeratos Candor ambitus tegit*
*Degeneresquè togæ pictis cum Fraudibus, inter*
*Errant protervos purpuræ acipitis procos.*
*O quem non solito veteres deprendere cursu*
*Incessit ardor! & animi haud humile fibras*
*Clara verecundo Virtus incoxit Honesto*
*Nec immerenti Fucus illeuit Dolo!*
*Sed procul ingentes Atauorum surgit in Actus*
*Et pulchro Honesti traiicit METAM gradu.*
*Excurritquè palam quæcunquè in fata citauit*
*Formidolosis immori Virtus iugis.*
*Præter & immunes quaßari Cycladas, audax*
*Calcare nimborum impulit Furor Metus.*
*Sæuus vbi imbelles Neptunus despicit iras,*
*Fractosque subter obterit tergo Nothos.*
*Quãcunquè egregijs conatibus inuidus error*
*Altam occupatis impedit molem viris:*
*Aut quà præruptis inuitat, magna pacisci*
*Nomina, & abusquè dissitis Lechûm plagis,*
*Immanes Animos vltra Acroceraunia trusit,*

Per

Per fluctuantum desides cœlo minas
Vadere Terrarum, & desueto calle mereri
In hospitalos Fortibus Cæptis globos.
Seu forte antiquo virtus flammata Decoro,
Pulchro redemptā fenore in METAM volās,
Magna per Alcidæ raptabit Olympia currus,
Laboriosum sternet & meritis iter.
At quid inoffenso stadiatum puluere campum
Calcat & auitæ curricula laudis, retro
Semisepulta gemens: dubijs in callibus hæret,
Lustrat & arenâ naufragos mersâ gradus?
Si festinatæ Heroum vestigia palmæ,
Detrita subter eruto situ iacent.
Sistite Posteritas: quisquis non degener olim,
Nec peieratam sanguini stirpem tulit
Hac, super Illustres pulcher Bellator Honesti
Quâ LIPSCIANÆ semita Crucis eminet,
Regnorum tumulos, magnis in passibus ibis:
Et alta retro linque Terrarum iuga.
Hac Proauis calcatum iter, & sudatus arena
Intaminatis Ambitu vestigijs
Non humili dereptus Honor circum auia furto,
Sic & Secures Regum, & in Trabeas Ducum
Et vestigatas SOLEIS sic ITUR ad ARAS.
Fortuna magnis passibus maior venit.

*SVPREMO*
REGNI POLONIÆ PRINCIPI
# IOANNI LIPSKI
*MAGNO, CONSTANTI,*
*FORTVNATO*
IMMORTALIS GLORIÆ
ATHLETÆ
*E VOTO PATRIÆ PRÆMIA*
*EXSOLVENTIS*
DESTINATA

TAnti est PRINCEPS ILLVSTRISSIME, illvxisse aliquem in Republ: Ciuem, cuius Fortuna non vulgaribus creuit initijs; sed cũ per turpem Posterorum ignauiã, defluxerunt, Maiorum semitas peruagata, auitæ Virtutis ĩmortale vestigium Posteritati refinxit. Plurima ineunti ætatis TVÆ puluere, ad inuidiam optimorum reliquisti; illud instar miraculi cùm extinctam Memnonis fabulam ad vitam, & fidem diu negatam reuocauisti. Erat hoc exortus TVI immane prodi

prodigium, quòd omnes Tvis moribus vel eminus afflati, Augures crearentur, qui è prima ætatis Tvæ luce, maturum reliqua die solem, in portensam lucem prædicerent fuisse abiturum. Nec dubius oraculorum Phœbus fuisti ephebus: quin, (quod iam olim de Corintho sparsit Antiquitas) quisquis de Te futura portenderet, Appollini, sub forma adolesentis auspicatus fuisse credebatur. Ita Memnonem imitatus si quos oriente lucis Tvæ adolescentia tetigisses, in Fatidicos, omnia de Te summa commutabas occenturos. Sanè non humilis iam tum, ad Auguralem Aquilarum Nidum, Patriæ auguria merebas explanare, quæ ex Te, cùm de Te; tàm benè ominato suspicionum euentu, tantâ Fatorum constantiâ, tot non temnendi vates, discerēt commentari. Verebare tamen semper, ne staturam animi, Fortunæ præuerteret incrementum; non ignarus, validiorem ceruicem extituram, quam grauior ætate, non elisit moles. Multorum exordi-

xordia, in fædam desierunt periodum, quòd æquo maiorem lacertis Fortunam insumerent: adeoq; non segniter à suscepto deflexere contentionis cursu, vt penitus exantlati, destiterint turpiter anhelantes. Nempè, quod in magnis ausibus vsu venit, frangi, aut frangere eos oporteat, quibus per formidolosos Fortunæ obiectus ad Apices vadendum animosus calor indixit. Erat animus Tvvs audendo; sed rerum Tvarvm non ille fuit cursus, qui aggredi non expugnare, cogitaret. Nunquam probauisti lacessi Fortunam, sed frangi. Satis maturatum rebus Tvis putâras, si non immaturè florerent. Nullus euentus serus fuit, qui ab efficaci consilio dimanauit. Quanquam veró, maturus sceptris regnauit, qui dignè, qualibet ætate Imperium gessit: oderas tamen Tyrios Stratones, qui ad ortum Solis, Fortunæ initia fuissent auspicati. Et licet non raró, Serenissimi Regum Vultus, indicem proijcerent vmbram, quâ per obstantes ac densos æmu-
lorum

lorum cuneos, ad nominis immortalitatem iam tum vaderes; verùm meridiē, è Regum Sereno, rebare expectandum consultiùs, quo Illustrissimè omnium collucens, laudis ementitæ vmbras cæteris relinqueres. In Te primùm fraudē ingenuam, & magnanimum dolum reperit: permisisti plerosq; pænè ab exortu, in Honoris arena triumphare, quasi omnem Fortunam desperauisses, qui tā segniter primo in limine hæsitares. Nēpe, sensim se, adolescentiæ Tvæ euoluebat herba, vt tanti fructus capax videretur futura: nec Reipublicæ timendum esset, olim Te Magnæ Fortunæ succubiturum fuisse, qui ardua & aduersa, ferendo, leuia effecisti. Solida de teneris promittebas. Nondum concreta ætas, strenuè conpactos alebat spiritus. Ante vnguiculos, non minores pollicebare passus, quàm Crvcem Soleatam decerēt; quæ seriò monebat Fata, Crvcem non Pedum, Tvis passibus aliquando debitura. Licuit non malè ex incunabulis

augu-

augurari, futurum demum fuiſſe, vt ad ſacra ſederes Aquilarum cunabula. Ita nec in paruis modicus eras, cui tam immanem Fortunam ſponderent minima. Exercebas ætatem in ijs, quibus Rêpubl. Tibi obligares, ſubiugares Fortunam. Erumpebant non rarò igniculi, quorum indicio, longè Illuſtriſſimum nemo Te non dubitaret futurum. Seriam vel in flore, ad inconſtantiam rerum componere inſueueras frontem; quâ demum Regni turbines ad otium reuocares. Æſtimare magnitudinem Tvam nemo melius potuit, quàm ex initijs, niſi & hinc non mediocris conflata fuiſſet difficultas, dum prima ætatis Tvæ elementa, abſolutæ virtutis ſpeciem præſeferrent. Vetuiſti ad iniuriam Tvi, ne de Te maiora polliceri auderet, qui ſumma iam vidiſſet. Admirabile quiddam primordia Tuà viſa Princeps Illvstrissime; atq; inſtar portenti magis, quòd raram cóſpici virtutis molem, in iuuentute oſtentabas. Credidiſſet Patria, ma-

gnarum

gnarũ mētiũ prodiga, iã desueta videri, redijsse, nisi Magnitudini Tvæ, modestiâ temperatum velles. Insignem Reipubl: querelam retulisti.quòd à communi Ciuium incremento discesseris, dum non solita meritorum altitudine, vsitatum hactenus benè merendi excessisti modum. Tanto studio ad summa omnia, in Rep ubl: insudabas consequenda, vt ab incude Fortunæ venisse Te putaremus. Elementa Tva fuêre illa, quibus posteritas tantò se studiosiùs imbuet, quantò ad præclarè factorum eruditionem incumbens tenacius recitabit, aut prælo immortalitatis impressa leget attentiùs. Pleraq; obscura lectu videbuntur, sed parta semel de Tuis rebus existimatio, disertissimum apud posteros interpretem aget, eumq; Te fuisse docebit Apellem, qui plura ex Tuis factis intelligi, quàm legenda requiris. Pertinebat & hoc, ad egregia Virtutis Tuæ facinora illustranda, vt obscura essent. Cùm demum ætate valida, ingentia

senta-

tentamina animo volutata, manu & re agitares, ac maiores apparatus in dies congerebas, præteriti isthic exortus Tui passus, non grauatè feres, quos iam grandibus vestigijs, feliciter obtritos in meliùs refinxisti. Nequè veró laudum Tuarum illa mihi materiès occurrit, quæ lachrimis hostium, & funeribus, Pompeios, aut Cæsares, formidanda magis, quàm laudanda Nomina, perennitati reliquit. Magnitudine laudis, non genere, præstare bellicosum Hannibalem, leoni belluoso, & bellum à belluis ethymon vsurpauisse nō ignorabas. Pridem iam ante animo destinâsti Metam Honoris, gloriam non odium parituram. Suos triumphos victrices oderant Thebæ. Rara ruinis tuta, vel diuturna proceritas stetit. Pauci inter fumantes bellorum strages, serio claruerunt, quæ lachrimas victo & victori eliciunt sæpè. Esto verò insignem pietatis in Patriam præstitêre significationem, qui letho, salutem Reipubl: redeme-

demerunt: sera tamen, post Fata, fama venit. Posthuma immortalitas, quæ morte paratur. Non defuerunt Hectores, qui sordidatas Ciuium cladibus arenas, raptati ab Achille verrerent sed non satis expurgauit cladem, qui suam addidit. Poteras cruentum Grauidi Lycæum experiri, nisi expers non fuisses, reperiri vspiam virtutem mori nesciã, licet pulchram per vulnera non oppetat mortem. Retroacta Polonorum ætate, sola cruenta acies ad METAM gloriæ, Olympia fuit: Religionem, bellorum conscientia ferebat: Deûm & armorum cultus propé idem Lechis; quorum inuicti enses, Numina; cruentæ camporum areæ, Aræ; iacentium Populorum strages, Altaria; prelia, Sacra. Omnia demum auspicaturi Fausta Festaque, cum suo, vel hostium sanguine natantes Prouincias, in ferales victimas, omnipotenti ferro litandas aggerarent. Proximum in Cælum putauerunt iter, quà immanior clades iaceret.

Nunquã

Nunquam excelsiores, quàm vbi Regnorum funeribus effulti, *Terrarum* occasu tollerentur. Sanè, bella ac cædes vnius olim *Sarmatiæ* visæ sunt fuisse; dum hoc fonte clades deriuatæ Regna & Populos inundauerunt: quin penitus Caspij & Carpathij occupauerunt Orbem, ne non totus Orbis in Sarmatiam, aut illa non in totum commeauisset Orbem. Fortes an crudeles Sarmatæ? iusti certè: qui in gladiorum solido, de Sceptrorum æquiori Ambitu, decreuerunt; si quando sanguinolentas Regnorum rixas, ferro & igni strenuè castigauerunt, aut diremptas, aut direptas: nec malé æternas Afris cum Quirino lites, composuère Gothi, dum vno seruitutis iugo, Romam & Carthaginem illigatas, ad æqualem virium fortudinem, in conspectu pauescentis Orbis reduxerunt. Neque vlla bellorum procella tantopere concussit Orbem, cuius ruinæ, Maiores nostri cernicem inclinarent. Nondum Poloni

humanas adorauerunt vires, nisi quando ex acie magnanimè procumberent. Nec alias liberalius vetus Sarmatia, Vrbi Orbis submisit colla, quam vbi Visligothorum ferro rueret obtruncata. Doleo à nonnullis è vicinia, germanam veritatem incestari qui Istulam Rheno affudisse vectigal in sinu Iunonis somniant: & verò, ni tam fœdum ater calamus resorbet mendaciũ, est manus ad paginam, quæ tam incestum, aut eluet, aut eradet somnium. Meminisse debuerunt, Vendam immortale cadauer, Vistulæ se oposuisse, ne in Ritigeri libidinem Poloniam deuolueret. Semper Germanicos Polonia non timuit, ne Polonici essent. Nunquam ita vires habuit accisas, vt cæsis (Cæsaribus pæne dixeram) succumberet. Danubium & Istrum peruagatus Liuius, Vistulæ littora non tetigit. nisi & hoc fuerit tetigisse, quòd transiit. Quanquam & citeriores Sarmatas ita mancipauit nemo, vt seruirent. pleriquè

vetu-

vetuerunt, ne impunè sæuirent. Nemo tàm fortis contudit armis extremè, vt caderent. De fortitudine veterum Sarmatarum, illud non iniquè dixero, tantæ admirationi bella illorum fuisse, vt in fabulam apud Posteros abierint. Solus adeó per aggesta Populorum cadauera, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, ad METAM immortalis Famæ, trucibus ingenijs olim putabatur campus.

*AT non cruento semper in æquore,*
*Sæua, Poloni, morte adamantinum*
*Mercemur æuum! nec refusi*
*Regna super, maria alta belli,*
*Padumquè, Scaldimquè, & fluere impigri*
*Jn Fata Rhenum, neu malè Balthidos*
*Nuper reluctantes Napæas,*
*Neu pauidi per Acuta Ponti,*
*Ferro pudendos remige Bistonum*
*Tranemus Ausus! Sistite Martia*
*Pubes,*

*Pubes, & obstinata versis*
*Arma Lechi prohibete signis!*
*Parumnè turpi depuduit cruor*
*Incestus Hæmo? dum propè barbaro*
*Tabo remiscetur Polonus*
*Sanguis, Agenoreosquè ceruix*
*Defecta Magnorum arma super Virûm*
*Maritat enses? parciùs efferi*
*Lethi, inuerecundus Cupido*
*Seruat humi Populũ insolentẽ!*
*Quantò minores nuper, Achaiæ*
*Fuêre valles? Quantus adultero*
*Ædon, fatigatæ ruinis*
*Incubuit Phrygiæ, sepulchro!*
*Creuêre nostris Dindyma ab ensibus;*
*Et ipse poßet iam capitum minor,*
*Si non Gelonorum pudendis*
*Funeribus piger institiſſet,*
*Othrys videri. Semper in ardua*
*Surgunt paludes Hæmoniæ iuga;*
*Semperquè crescentem recenti*
*Æmathiam cumulamus agro;*
*Cum busta subter, dira iacentium*
*Seges virescit: plus cinerum, truci*

*Aratur Istro: iam nefasto*
*Pinguia computruêre tabo*
*Arua, innatantis cladibus Istriæ.*
*Sed ó rebellem linquite Posteri*
*Pontum! triumphatine semper*
*Colla Tyræ, dubiumq; Pacis*
*Calcamus Hebrum frustra? & inutiles*
*Perdemus iras, pænè adeò metu*
*Solo redemptas, cùm Geloni*
*Supplice procubuêre mento?*
*Non sola Magnos prælia Sarmatas,*
*Ferrumquè & alta cæde natantium*
*Strages aceruorum, cruentis*
*Funera conseruisse campis,*
*Olim futuris sera Nepotibus*
*Narrabit ætas: nec Rhodope super*
*Bellare, calcata probroso in*
*Sãguine, & excidia immerenti*
*Proiecta Terrarum, aggerere Vrbibus*
*Fractis, & vni adsternere prorutum*
*Orbem ruinæ, & omnem in vno*
*Oceanum iugulare ferro*
*Qanta recisæ cum Populis iacent*
*Ceruice Terræ? quàm fragor vrbium*

*Ferro relabentum, diremptas*
*Terruit in statione nubes.*
*Non si sepultum surgeret Ilium,*
*Thebæquè starent; aut Agamemnonis*
*Arces remolimur: tot actas*
*In cineres, pedicasquè lethi*
*Sedisse gentes, interitu suo*
*Vnquam reuincunt? Sed satis est mori*
*Olim senectam! nondum adultas*
*Frangere, & eruere, est triũphus*
*Leuis ruinas! Heu satis occubat*
*Thetysquè Tellusquè! Vt procul Alpium*
*Adinstar, erectis superbæ*
*Cladibus intumuistis auræ!*
*Absiste campo, quisquis in Hectora,*
*Fatali Achilles perfuris impetu:*
*Et parce defessum, supina*
*Pace super, cecidisse ferrum.*

LAchrimis isthic atram lineam duco, cùm Regum immansueta bella, in cladis libidinem memoro reuocata. Omnis Laus, in sanguiue natat. Honestum nihil, quod non crùentum. Cla-

dibus innutriti, lethalem immortalitatem, funesta Populorum cæde, parturimus. An Virtuti nonnisi belli, locus? Pleriq; Regnòrum turbines, tã crudeli armorum raptu se obterunt, vt obtruncent fœdissimè. A bellis nulla sui parte respirant, nisi quá hiantem immania terrarum vulnera plagam reduxerunt. De clade, non salute pugnatur. Vnus Orbis, clades omnium & vulnus est, nullàtenus illæsus, præter quà lœdi nisi vulnera possunt. Vitæ contemptus ambitur. Adeo reliquas Virtutis METAS, vertimus in odium. Nemo tám bonus bella gessit, vt finierit. Quæ componi vellent, nemo tàm fortis arma excussit. Nondum digesto & cõmanso vulnere novus egeritur sanguis. Nuperam cicatricem, hesternũ vulnus hausit. Quid vltra feratur vagina ferro? vitam an lethum repressuri, thoraces lucem pertæsos venditamus? Adeònè Orbi viuere non vacat? Si ad exitium, omnis METARVM Circus est, de occasu amplius

ampliùs luctari, nihil proficit Orbem, vnà omnis procumbat; tám graue ruinam nemo tenuit; tám immanem ceruicem quæ reuocet ab ictu manus, omnis humana minor erit. Finis vnius excidij, gradus est futuri. Clades oppugnat cladem, dum crastina cædes, præsentis lethi spatium præreptum sibi dolet. Planè casibus stamus, surgimus ruinis: non alia incrementi ratione magni futuri, nisi iacentium aceruis Regnorum subnixi. Atq; vtinam, in calcatum hostem subsidat ira victrix. Grauis in fata iniuria! Sexcenti cadunt dũ Regnum non capit duos. Quàm leuis bellorum merces! Scilicet nemo tantũ Regnũ tenuit, quod teneret duos. Bellorum exitus, exitia sunt. Pax demũ florebit; dum, qui feros Pacis fructus legerent defuerint. Tandem pacificæ METÆ, de cineribus prodibunt; dum metu ij caruerint, qui post fata, formidarunt nihil. Adeó ruinæ non vacabũt, donec depressius occidisse, humilius

iacere non poſſint. Rediret novus Alcides, qui armis & victorijs vnam emuniat Calpen: niſi hic fuerit VLADISLAVS, nomine Quartus, rebus præclarè geſtis, nemini Regum Secundus. Jlle demum Ætatem cruentam monuit, poſſe ſine ſanguine, non areſcere Laurum. Serò credidimus, Pacem armis quæri; ignari hactenus, bellare Principes, an prædari æmularentur Orbem. Vnus idem Tito Liuio expunxit ſcrupulum dubitanti, Romanus Carthagine deiecta, an Macedo inter fumantes Aſiæ ruinas, præſtaret armis, dum cedentem triumphans hoſtem, vtriq; barbariem exprobrauit. Jllud de Te VLADISLAE POTENTISSIME extremum, non huius loci laudator, cùm Poſteris Hiſtoriam manu ſuggeris, eo tenore calamum erudis, vt ferri acutiorem, æqua pace attenuatum temperes. Dediſcere âliquando deberet Orbis triſtem bellorum lanienam, ne plus haurire ſanguinis, quàm ſalutari

potio

potio indigeat. Jnuidere poterat Lechia Fortunā Quirinæ Vrbis, quam Sacrorum Cinerum Lipsanothecam Magnus Hosius appellauit: sed modesta cruoris eluuio in aditu Religionis seruata, pietatem cumulauit; tantòquè sanctiorem inopiam pertulit, quantò solidiorem putauit pietatem, ab innocente, proboquè manus abstinuisse, quàm, per summam barbariem peremptis, busta non negare. Atquè illud præ reliquis terrarum non immeritò Polonia iactet, Ciues suos, primo Religionis intuitu, infractam armorum ferociam posuisse, quam tot Regnorum iugulis retusam, ac barbara sanguinis inundatione restinctam, seriùs, quàm immanis crudelitas fastiditis cladibus postularet, Græci & Romani Jmperatores posuerunt. Non tàm ad odium erat Audacis (an timidi) atrox immanitas, quòd Altaria sacrilego ense violauit polluta, quàm ad miraculum portentosa Regni Ciuium Aquilarum pietas, dum repansis,

 & pro-

& propè supplicibus alis, veniã euocaturæ, sacrũ ac immortalem Diui Herois placauerunt cruorem. Tacendum quidem non erat tàm religiosa fuisse veterum Sarmatarum arma, vt Deos Græcîs Romanisqué pepererint, qui Sarmatiâ oriundis Herculi & Gradiuo Aras erexerunt. Sed ne longè monumenta Polonæ Religionis petam, olim iam querna Trophœa, in CRVCES Lechia commutauit; dum bellorum lucra sanguine empta, & cruenta Terrarum spolia, ac direptas Musurmannis Lunas, quòd fatali mole Patriæ impenderent, ab Altaribus suspendit. Summa profectò Religio in Diuos à Lechis præbita, qui cúm maximas Victori DEO haberent gratias, tum adeò ipsi sacri Ædium parietes manubijs onusti præ nimio triumphorum onere, proni supplicesquè de suæ altitudinis maiestate aliquid remittebant. Qua in re plura loqui, non putaram huius paginæ institutum ILLVSTRISSIME PRINCEPS, præter
quàm

quàm vt errorem expungerem veterum, qui extra Martis arenam, nullam, Honesti METAM aduerterent. Quare excussa armorum feritate,

QVIBVS

AVT EXVI, AVT ABIRE
LACEDÆMON EDIXIT
SVRGITE AD METAM POSTERI.

QVIS QVIS

IGNAVVS ANTIQVI SANGVINIS HERES
SVPINOS EDORMIS AVSVS:
AVT MAGNOS ACCINGE
PASSVS,
ET PAREM TANTO SANGVINI INDVE
MENTEM;
*AVT DIVENDE CERAS.*

EATVR,

*QVACVNQ; ANIMOSVS*
CITAVIT ARDOR, QVA

QVA
*FORTES SPEMQ.*
*METVMQ:*
FERENDO DOMANT,
EXTRA OCCVLTOS CUNICULOSÆ
AMBITIONIS MEATVS,
SEMIRVTIS AVORVM CALLIBVS
PALAM IMMORI:

AC

REFVSVM AVITI NOMINIS
OCEANVM,
PERTVSO ÆTATIS GVRGITE
PROPE IAM DEPLETVM,
*RECENTI INVNDARE FAMA,*
ET NOVAM PRÆCLARE GESTORVM
IMPLVERE DILVVIEM;

ALTVMQVE

SVPER ACHILLIS SVDOREM
*AD PENINSVLAM BONÆ SPEI*
INSTRVCTA CLASSE,
INGEN-

INGENTIBVS VELA ANIMI
IMPELLERE CONATIBVS,
ET CANDIDATAS ÆSTVANTIS
AMBITVS SPUMAS,
TRIPLICI PECTORIS RVERE ÆRE:
VASTOQUE NATATV,
STAGNANTES ADOREIS
AD FRANGERE CIRCOS:
DEMVM ALTO CALCE GLOMERATAS
OBLATRANTI A TERGO LIVORI
REIECTARE ARENAS.

# META HONORIS
## *SVPREMO*
## REGNI POLONIÆ PRINCIPI
# IOANNI LIPSKI
## *MAGNO, CONSTANTI, FORTVNATO*
## IMMORTALIS GLORIÆ ATHLETÆ
## *E VOTO PATRIÆ PRÆMIA EXSOLVENTIS*
## DESTINATA

REdijsse ad TE Biuium Herculis video, PRINCEPS JLLVSTRISSIME; cùm ad manus TVAS CRVCEM & SOLEAM intueor. Trahebantur in diuersa, prima ætatis TVÆ elementa. Armis SOLEA, CRVX Aris indolem inuitabat. Non leuis lucta Fortitudini cum Religione, de TVA iuuentute intercessit. Defecturam fuisse ad partes SOLEAE credidissem, nisi CRVX SOLEAM certamine superaret, adeòq; etiamnum ouans

ouans, ſuperſtaret victæ. Aris, non armis tantùm naſcimur, etſi Lechi; pulchro vtriuſquè ſanguinis cōnubio, Belli ac Religionis, Fortes & Pij Aquilarum Nepotes. Non ſolus chalybs, nec ſola dextera, quantumuis bello feruida, Numina dabunt. Nec ſolæ SOLEÆ, aut SAGITTÆ, omnem nominis immortalitatem ad Poſteros tranſmiſerunt. Vna demum, per ſtratas bellorum ruinas, ad METAS, Fortitudini reſtabit Appia; ſi nobiles Proauorum Ceras, à Martis ferocia, mutuamur auſpicatas. Sanè egregijs Fortium incurſibus, turpiſſimè vacarent METÆ, ſi omnes honeſtæ vitæ curſus, bellorum immanitas deperiret. Timendum ſine ſuſpicione putarem, ne inter fatales Jnanium Circos, Mortalitas ouaret? vbi, & Orbis perpetua armorum æmulatione, ſui incertus, alterna peroſus Sceptra, ad immobile Nihilum defeciſſet. Turpe eſt, ita vitæ rationem inſtituere, quaſi ad macellum viuas. Etſi verò ita ſe rerum Vices per-

miſcent,

miſcent, vt ſuis ruinis fœdiſſimè obtritus Orbis, iam truncam Europem, iam Aſiam ſeminecem, multas denq́; ſui partes, funeſta putatione, mutilatas, propemodùm ſine iugulis circumferat, tanto nihiloſeciùs, parcior ferri vſus á ſingulis mortalium ſeruandus erit, quãtò acerbiùs, ſinguli toto paſſu, ad Regnorum periodos connisi, ferrum pectore, aut pectora ferro induerunt. Nec ferrum in ſolas cædes nâtum, nec nos in funera, animum ſuperſtitem Fatis exempturi. Non ſumus ignari, è Nido Aquilarum creuîſſe Lechiam; earum, tamen, quæ non tantùm ſontes Populorum noxas fulminarent, quin adeò raptam indolem iuuentutis, Diuorum menſis, Aris ſcilicet deſtinarent. Non ſolo cruento æquore ad immortalitatem enatare nati, ſed pulchro Religionis conſortio bellis admixto, memoriam, ad Nepotes transfuſuri ſumus. Præclarè ſuam temeritatem, immortalibus Gentis Tvæ meritis, apud Poſteros excuſauit

cusauit Fortuna, non sine prudenti præsagio, SOLEAS & CRVCES ijs tributas; qui, quà Bello, quà Religione fuissent conspicui extituri. Aras in METAM statuisti, iam tum collineandam, cùm literis KARNKOVIANIS imbuerêre, ac veluti iaculis capacem ingenij pharetram, ad Metam volaturis instrueres. Exercebas in Hemiciclis Peripatei, natos ad Magna passus, experturus celeritatem in Circulis, quã in ĩmanes parabas Circos. Opulenta Chironi TVO Fortuna TVA merces extitit: præstolatur ille tamen, vt Achillis sui Fortunam suscipiat ante, quàm senectus canam ceruicem commoneat, ne se ad Celsitatem TVAM conspiciendam erigat. Meminit ille quanta contentione, ad consequendos veræ virtutis fructus adlaborabas. Erant non pauci alij Chirones, qui TE iam extra Palladium puluerem positum, in portubus Fortunæ adnauigandis, in META Honoris attingenda nauiter propellebant. Sed in tanta studio-

ſtudiorum, ac voluntatũ erga Te pro-
penſione, velis remisq; Tvis, infractu
ſudor flantes, reflantes auras tempera-
bant. Inſtitiſti ad Summa, non humil
paſſu, à primis Fortunæ rudimentis, Il-
lvstrissime Princeps. Atq; cùm ea
contentione Tecum luctareris, quæ me-
rita Honori, non meritis Honorem
maturaret; duo maxima Olympiorum,
non ſine inſigni Reipubl: ſtupore con-
ſecutus es. Alterum, in tam denſa æ-
mulorum acie, Fortunæ ancipiti felici-
ter confecto curriculo, ſtetiſſe Te eo lo-
ci, vnde omnia Patriæ columina ſtarẽt.
Alterum, tenuiſſe Metam tam Supre-
mam dum Summam; vnde à Lacedæ-
mone raram audiri vocẽ accepiſti: Ni
vltra lineam. Olim, *NIMIA SVI*
*MIRATRIX ANTIQVITAS*, vt
Tvis verbis loquar, de Tva Eloquentia
* aliquid accepturus, Metas Svdantes
ad immortalitatem diuturnâ memoriâ
tranſmiſit, vnde egregio Honorum cõ-
temptu, negotium Metis faceſſitum,
ab ijs

ab ijs interpretor: ad quorum limina, ipsi vltro veniunt Fasces. Verùm de Meta Tuo cursui à Superis iam olim præfixa locuturus, Sudantem titulo æquiori appelabo: nec leui passu exactã, sed maximè nauo calcatu, & fortissimo progressu: sub eius Fortunæ auspicijsq; se diutiùs occultauit, deprehensam. Est vnde, Fortuna pedibus Tuis aduoluta immortales gratias canat: cuius temeritatem in arrogata Genti Tuæ Cruce, euentu probante dubia inuolasti. Sæpè Maiorum Imagines, ementita virtutis simulachra fuisse legimus in Posteris, non exempla. Fucum lippis obiecerunt, qui Parentum laudes, in suam transfuderunt gloriam; proprio labore egentissimi. iactant, quod nemo ignauissimus non possit. Magni non sua mole. Scenici, non serij Actores eorum, quæ recitarunt. Meminisse nati, non gessisse. Eruditi, non strenui. Oderas Geriones, qui non suo araturi boue, Herculis opes abducunt. Aridas

eorum

eorum putauisti Laurus, qui differunt de rebus gestis, quas non sererent. Crescere, non mereri soliti. Fortunati, non fortes. Hæredes laudis non Auctores. Adeoq; etiam in turribus celsis glires. Statuas fuisse censuisti, quæ Patrú columina turpi desidia deprimerent, ad Altiora segnes. Æmilianas, & Coruinos pingimus, non imitamur. Jtanè colorem in Maiorum Stemmatis ducimus? Aquilas & leones in fumosas, timendo vertimus Ironias. Immortales Ceras, fecimus cereas, Arma, in imagines recudimus. Enses paternos pingimus non stringimus. Nam vbi prauis cupidinibus capta animi magnitudo, ad inertiam defluxit, peregrè aduectis moribus, splendidé tantùm & affabrè fortes sumus. At, timendum Tyriæ nó faciunt lanæ. Formosa arma, formidant cicatrices. Videre fuit Maiores nostros, qui nihil læuigata pinu cataphractos hostium impetus, feliciter diruerent, finesq; Patriæ, infaustis aceruis ster-

uis ſternerent Oſmannorum. Venit degeneri gradu Poſteritatis Tarquiniorũ, vix decutiendis papauerum pinnis idonea. Ridebit Comicus huius æui politulos thoraces, limatulos enſes; ſi memoriâ repetat Veterum trabales haſtas, decemplices loricas, tricubitales frameas. Adeò penitus ſolidos exuimus artus. Celeritatem paternæ manus, in pedum ſtrenuitatẽ vertimus. Vtinam, vel hæ fortitudinis minutiæ,in Poſteros dimanent. Meminiſſe dulce eſt, Proauos cælo teſte ſub Ioue aperto, aciem explicuiſſe, turpe ex aduerſo, videre nos inter coctiles Caucaſos ſtabulãtes: nec, ſolido pectore mænia ſupplere natos. Fertilior credo nunquam leporũ ſeges in agris viſa, quàm vbi prima mænia apud Sarmatas erecta fuiſſent. Omninò ſi nullus ſceleri murus, nec degener metus propugnaculum reperiet. Cladibus obiacentum Oſmannorum, aditus in Patriam præſtruendus hoſti: tabo Muſurmannico diluendæ foſſæ;

eruti

eruti vngulis, ac stationibus barbarorũ campi, restagnante cruoris diluuie exæquandi. Dulce & decorum est, Phrygias Cydares Martio puluere obsitas ferro excutere, ac hostiles galeas acinace concrepando, classicum Posteris in Othomannos dare.

*Quisquamnè restat, sãguine barbaro*
*Tinctis legendam qui sibi Thraciam*
*Rescribat armis? an pudendos*
*Nobilium proauitus horret*
*Sanguis cicatricum, impauido Dahas*
*Terrere vultu, fractaquè territos*
*In terga trusisse, & reiectum*
*Pectoribus sepelire bellum?*
*Magnum è recepto nonnisi vulnere*
*Olim vetustis audijmus viris*
*Creuisse vultum, ille & decorus*
*Quem Tyrij chalibes retincto*
*Pinxere*

*Pinxere tabo; cui facie super*
*Indedolata non humilem legi*
*Fortes renarraturus Actus*
*Historiam cruor exarauit.*
*Frustra è caducis deciduo Patri*
*Succreuit ætas posthuma filius!*
*Damas reliquistis Leones,*
*Opprobrium excidiumq; Famæ,*
*Per vestra natæ vulnera. Polluit*
*Thoracas auro Colchis, & affabrè*
*Fortem, refıcto pertimescet*
*Scilicet Astianacta ferro.*
*Formidoloso sub clypeo, palam*
*Timendus Aiax: Cedite Posteri:*
*Quid segnis, auersoquè tantùm*
*Fortis equo pauidusquè lethi*
*Effrons auiti transfuga nominis,*
*Suiquè nunquam maior, & abstinens*
*Audere, contemptor supremæ*
*Lucis iners, animæquè parcus,*
*Contra efferatos stringeret Ædonas*
*Ensem paternis conspicuum notis;*
*Si dextra non respondet hastæ,*
*Ferro animus, animæquè robur:*

*Nec fata magnis auſibus impigri*
*Verſamus, emptaquè immorimur neci:*
*Prô turpe in imbelles Polonæ*
*Degenerant Aquilæ Columbas!*
*Dum peierato ſtertimus otio,*
*Et arma fœdo vomere vendimus*
*Verſaquè luctantem iuuencum*
*Turpiter extimulamus haſta,*
*Senſim minores bellaquè Patribus*
*Durata primis, intra Helenæ ſinum*
*Fregere laſciui Nepotes,*
*Secula deteriora ferro.*
*Olim receptam (ſi qua tulit nigram*
*Fortuna ſortem) Dilue ſanguine*
*Polone labem; & auſpicatis*
*Auſibus immoriare Patrum*
*Quos Fama parci neſcia ſanguinis,*
*Auara Læthi, prodiga funerum,*
*Pulchræquè deſacrata morti*
*Poſſe mori vetuit niſi armis.*

PVdeat vixiſſe, quem pro Patria pigeat mori; mortem qui timuit, meruit. Neſciat oriri, qui occidiſſe pertimeſcit

ſcit. Animum obijciat Fatis, Faſtis qui digna gerat. Diſcat perdere, quàm amiſiſſet vitam. Audeat perire, qui perijſſe etiam timidus poteſt. Patiatur extingui, quàm non accendit lucem. Contemnat viuere, quod vel ignauis datum. præſtat egregié mori, quám vixiſſe obſcurum. Sed quid ego cædes ad Sacra, Bella ad Aras miſceo? nempè iactantiam eorum vellico, quos ſua ſtẽmata in turpem ſocordiam demiſerũt: quorum animus eſt, canere aliena, non agere. At Tv Jllvstrīssime Princeps etiam ſepoſitis armis, reperiſti vnde Maiorum itineri inſiſtens, Poſteritati ad ſumma quoq; immortale virtutis veſtigium relinqueres. Multum Tibi debebit adlapſura ætas Princeps Jllvstrissime quæ ex Tvis meritis diſcet Eloquentiam, rerumq́; à Te geſtarum non modicam eruditionem congeret. Atquè hoc primum, ante illuſtria Tvæ Virtutis facinora, memorabunt Faſti: quòd per Te increuerunt, tenuiores futuri,

turi, nisi egregié factorum molem ad iecisses; posteritatem in rebus à TE gestis disertissimam effecturus, ac Fortunæ TVÆ vel sociam vel laudatricem habiturus. Serò Fortuna, impensis com tibus respondit, sed seriò. Quis enim tempestiuus illi honor, quem immatura ætate meruit? Ad sacra Pontific sceptra capacem priùs animum habuisti, quàm manum: Longè pridem im mortalis gloriæ fructus dabatur ca undus, quem reliqui ne commodè qu dem carperent, quòd omnem tanti h noris amplitudinem, semel comple non valuissent. Poteras occupare ia ante Regni Apicem, spatium illis co cessisti qui contenderent aucupari. & videreris pennatos honoris aucupes Ambitionis volatum erudire, vni S GITTÆ aculeum Maiorum magna mitas excussit, alteri comminata. n captare sed mereri disceret dignitat Semper putaui Tyrannum Hono non Principem quem rapuit: nemo n

raptor

raptor ambiuit. Nihil ambiuisti quod intra merita non fuisset: nisi & hic in Te Ambitus fuerit, dum extra cancellos virtutis, nulla est pars Fortunæ. Nouam docuisti Ambitionem quidlibet meritis exæquare. quasi ambiret nihil, qui non ambiret nihil. SIC ITVR AD ARAS JLLVSTRISSIME PRINCEPS, per depressam iacentis Fortunæ ceruicem erectus, nusquam erectior dum calcato Ambitui insistis. Magnus ad Summa passus, proiectum ambitiosi Candoris pallium adsternere, quà maior euadas. Creditura non erat posteritas nisi & olim recentes vestigiorum plagas, non immemor CRVCIS SOLÆATÆ, deculcata seruaret Ambitio. Pace Regni dixerim; vix quidquam TVÆ Magnitudini par reperimus; Quid ambires? aut quid non ambires? infra cuius merita, omnis merces minor extitisset. Jllud vnum in TE Patria doluit, maius nihil fuisse, quod TIBI conferret, vnde non dubium sit, digniorem TE sem-

per præmijs extitiſſe, non maiorem. Non meruit,qui ſe creuiſſe putauit. Ita auguror: iam nuper iſto ſtetiſſes lo. co; ſed maluit honeſtè Tvis meritis diſ. ferre Reſpubl: ne cùm ſemel ex æquo ſolueret, aucta demum merita, quo cumularētur non fuiſſet. Quanquam & nunc Metam,non Palmam collimâ. ras. Nec alios ſui Fortuna terminos, quàm Tibi poſuit. Imó vltra Fortuna ſtetiſti, dum Fortunæ ſpatium non eſt vltra. quanti eſt, eſſe aliquem, cuius Fortuna vulgaris non ſit, ſcilicet Am. bitioſa! Maiora complexus es extra Ambitum: hoc demum erat adeò ex. creuiſſe, vt excedas Ambitum. Exæ. quaſti ſtaturâ Virtutis Tvæ, Regni fa. ſtigium;ea ſolùm parte minor,qua Tv. is humeris inſiſtet, ne plus magnitudi. ni Fortunæ concederes, quam Atlas cœlo. Pleroſq; Orbis admiratus, qui lubricos rerum apices modeſtè decli. nârunt, ne humiliùs iacerent. feciſſes, ſed cùm Te magna Regum ambirent

vota,

vota, ignarus quà lõgè ab ãbitu cederes, ambiri cessisti. Adeò omnem ambitionis suspicionem euitauisti, vt ne fugam ambires. Adeò proximus ambitui quem calcares. Tantùm aberas ab ambitu cum proximus fuisses. Docuisti contemptu nundinari, quibus pretium non sufficeret. Justa est æstimatio in contemptu. Magnitudinem solis ex vmbra discimus. Satis fuit vt sperneres, si posses. Contemptum putabas quem contemnere licuit. Oderas turpes Honorum procos; qui præmia Reipubl: ex libidine metiuntur, summa & leuia non cupiditate sed meritis pensabas: A teneris olim didiceras, Cæsares per resecta Patriæ viscera ad fasces natos, raptos Honores turpiter cum sanguine proiecisse. Gratulatur se habere Gnesna, à quo sibi contemptum timuit. Sanè citra inuidiam Fortuna votis respondit, á qua meruisti ambiri. Solũ illud in Te inuidiosũ quòd nemini inuidisses oblatam. Que-

rebatur olim Lysander deesse sibi manum ad Fortunam. Tuâ nihil intererat cui Fortuna suas obtulisset: Ipse Te ambiuit Honor; quem si obstinatiùs reprimēdum cogitares, tanto procliuiùs meritis pellectus rueret in amplexum. Nempè insueuerunt fugam sectari vmbræ, consecutionem odisse. Non immeritò tamen, Regni ciuium querelam incurres, deleta esse Tvis passibus ad Regiam Aquilæ (Nidum dico) vestigia, vnde faciliùs peti possit & inuenisse. Te arduum quodpiam iter, quà non nisi exaggeratæ virtuti pertingere datur. Vt vel sic absq; inuidia Honore fruaris, quem nemo ausit attrectare. Omnia VLADISLAO grata hoc vnum non æquus pertulisti; quòd nomen Fatis Regalibus superstes feras, cùm Interregem esse, sit quæpiam vltra Regem Fortuna. Pulchrum est videre in Te, quod pleriq; inuiderēt. Totus se Tibi litauit Honor, in quo palmas omnium & metas attigisti. Ju-

uisses

nisses in altius, nisi hic Nidus fuisset. Negari verus Patriæ Ciuis non poteris, qui ad Nidum Regni concessisti. Hic primùm inuidia agnouit vires suas impares Virtuti esse. Est verô inter prodigia Virtutis Tvæ tam modestam fuisse, quæ nullâ Ambitionis maculâ se adstrinxit. tam piè ad Honores celerem vt vix spatium Æmulis ambiendi concesseris. Diu Te Patria indiguit, quia indiguit diu, quæ Te diuturnis procellis conuulsa atq; conflictata in Arcem suæ Securitatis legit, ac in Tuum sinũ sese lacerata recipit. Vide iam qua celeritate Publicæ Saluti cõsulturus prospectum ibis.

*Qualem è remotis nauita Gadibus*
*Soluit lucrosa portubus Indiæ*
*Iberus alnum; cùm repente*
*Classibus attremuere proræ;*
*Et iam solutis mercibus inuida*
*Sæuum remugit Thetis & efferi*

*Iactata ab vndarum tumultu*
*Littora detonuere venti.*
*Fœdoquè Terras turbine naufragus*
*Elisit æther. & male prodigus*
*Sui, fatiscentem ruinis*
*Æquoreæ populator oræ*
*Concussit orbem: stat dubio ratis*
*Ibera Ponto: ridet inanium*
*Iras recursantes Notorum ac*
*Triste supercilium procellæ.*
*Hic acer Eurus deripit incitæ*
*Classi rudentes; hic ruit impiger*
*Miscetquè suspensam furori*
*Trux Aquilo Boreasquè puppim*
*At illa cæco immobilis æquore*
*Et obstinatis cedere contumax*
*Ventis, reluctantemquè frustra*
*Aggreditur violentus Auster.*
*Illam & refusò subruere impotens*
*Æstu fatigat Caurus. & in vada*
*Proturbat immanis. sed audax.*
*Intrepidum latus insolenti*
*Opponit Euro. nec malè barbarum*
*Frangit furorem, neu sinit Africos*
*Impunè*

*Impunè grassari volantes*
*Oceano super immerenti.*
*Talem futuri turbinis Arbitrum*
*TE fracta densis Patria fluctibus*
*Poscit videri, nec reclinem*
*Ambigui fluitare quassa*
*De puppe Regni. At flectere subdolas*
*Citrà Charybdes Imperij ratem,*
*Sanctoquè Ciuilis procellæ*
*Prælia composuisse Clauo.*
*Seu nos resorbet barbara Thraciis*
*Propontis armis, siue calentibus*
*Vndis inhorrescente Ponto,*
*Carpathium attonuisset Orbē*
*Proteruus Ister: seu popularibus*
*Obiectus auris, frange rebellium*
*Æstus arenarum & minaces*
*Succute deterioris vndæ*
*Ab arce cristas; dum placidum omnia*
*Sidant, & omni se pelago super*
*Strauere fluctus, atquè anhelis*
*Iurgia conticuere Terris.*
*Tunc ominatum mobilium in Vices*
*Aplustre rerum, temnet inutiles;*

*Iras procellarum vetustis*
*Ausibus, impauidamquè plangi*
*Plenam seueri Consilij sinet*
*Fluctu Carinam: Si quis Achaiam*
*Bello innatantem peierauit*
*Bosporus impetuosus auris:*
*Circumsonantes Bisthonas arbitro*
*Insiste nutu, neu dubio malè,*
*Pracepsquè cogitante Regno;*
*Colla Lechis humerosquè serò*
*Submitte fractis, gnarus & efficax*
*Desideranti quod benè Patriæ*
*Cessisset, exemptiquè Fatis*
*Imperij secuisset atros*
*Impunè fluctus: non Tibi naufraga*
*Virtute tantæ remige Gloriæ.*
*Magni ille Numinis refusus*
*Vel animi volet ire Pontus.*

DEbuisti tandem Fortunæ nimiùm obluctatus, Cœli ac Terrarum suffragijs, manus dare ILLVSTRISSIME PRINCEPS. Profuit in alijs errare, quod hîc nidificare sperauimus. Scilicet in-

fra se putauit Fortuna, quidquid extra Te fuisset. Aram Honoris in TVA fide reliquit. Quod difficillimum est inter mortales, gloriâ æmulationem fregisti, atq; adeó vicisti expectationem multorum, quibus ita spem omnem reddidisti auulsam, vt nihil expectarét. Sæpe id in Te lego, omnia vno cum Honore in votum recidisse, præter quod iam neminem meritis vincere possis. Planè cùm Victoriam inuideas Tibi, fecisti semel, ne vltra vinceres, nisi & sic semper vincendum erit, quia Te superstite nemo vnquam triũphabit. Non deerat sibi multorum Ambitio, si Tu defuisses. Vno passu omnium saltus præcepisti. Honores petebas, quos pleriq; consequendos sperarent, habiturus nemo. Spem reliquis Fortunæ, TIBI Fortunam reseruabas. Quanquam victoriam in Honesto, non præmium designauisti, specimen virtutis præbiturus non mercedis, Triumphare poterat ingenuus Reipubl: liuor

TVAM Celſitatem, quam nuper inter humiliores Jnſularum pinnas ſtatuerat, ſed plus nihil profecit: quàm vt magnæ lucis minor eſſet vmbra atq; vt maior eſſes, quám viderere. Adeò ab omni parte Fortunæ TVVS, Magnus ſcilicet fuiſti. Videre erat non paucos qui ſtaturam lucris augerent, de meritorum Magnitudine, TECVM conflicturi. ſcio: Magnitudine cedere poteras ijs, quorum ſumma, apud TE in minimis eſſent. Palam TVÆ Magnitudini conceſſit Patria, quàm ad Regni Apicem cenſuit inaugurandam. Debebatur nempè TIBI vt Supremús eſſes, qui ſic eminebas. Vltrò in TE Fortunæ proceritas decubuit; ne ſuccumberet, ſi minùs ſolido tàm altus Apex pectore ſitus fuiſſet. Reſilire à Te non poterit Fortuna, cui ſpatium inſoleſcendi citra METAM non eſt. Quid in Te non ſolidum, ſi ipſa leuitas conſtans ſit: Jllud ad miraculum, quòd nec leuiorem habiturus ſis Fortunam, quia neq; conſtanti-

ſtantioré. Hoc ad ſtuporē; Fortunæ TVÆ conſtantiam, in nonnulos fuiſſe quoq́; deriuatam, cùm ad repentinam Altitudinem TVÆ molis obriguerunt, ac velut ſpe proiecta ſubſtiterunt: niſi illud non ſtetiſſe fuerit, cùm tanto Æmulo cederent. At ceſſat, qui ceſſit. Atq́; hæc eſt illa altitudinis TVÆ META JLLVSTRISSIME PRINCEPS. Hæc magnorum paſſuum ad Supremum Regni Honorem Veſtigia. Boni Superi quam rara in Poſteris! Quid enim? ſperamus omnia, agimus nihil. Diu ſperando, reddimus omnia deſperata. Scilicet tot tantasq́; ſpes animo volutamus, vt ijs euoluendis deſit ætas, quam ſperando minuimus. Fatis conceſſuri, digna Faſtis prehendimus. Serò mereri de Patria, ſeriò & maturè arbitrati. Jam putres, iam carioſi quaſſam Reipubl. molem ſubimus, Quod FERDINANDI geſſerunt, quod VLADISLAI: inter focos recitatur: interim ſcribenda, nemo dictauit manu. Ve-

nu. Verendum ne vbi omnia de Maioribus narrata fuerint, ad fabulas dicendi procaciam hi manu Taciti vertant. aliena miramur: an nostra magis; in quibus stupemus? hæremus scilicet, sed ignaui. Nouus à Rhetore laudandi locus, noua hyperbole, tanti Maiorum gesta æstimare quasi retractari nequeant, dũ ardua, segnitie fecimus. Quã insignis eluxit pietas posterorũ sublata maiorum religione! Templa iam sua vetustate obtruncata, iam iacentia, nec sarcimus nec erigimus. Veriti credo ne nouis Posterorum impensis, vetus Maiorum liberalitas in Divos obscurata, intercidat. quæ iam heri iacet, aut nuper ruit. Pro mensis & focis in Aras non raró pugnamus. Nam pro Aris precaria antiquitas (inquimus) depugnauit. Sensim omnia Diuina ac humana pessum damus, donec ita aboleantur, vt saltem illud pietatis in Patriam, religionis in Aras consequamur punctum, ne in peius abire possint, dum

dúm penitus corruerunt: Maiorum libertatem castigamus, dum opes, stipendia ad aras merétibus accidimus. Vereor ne apud illos in sacros pugnetur fundos qui omnem religionem ad fundum depleuerunt. Nam quid de fœdissima errorum colluuione, quid de polycipiti religionis hydra loquar, cuius libertas in seruitutem abijt impietatis. Jtanè olim Roma terrarum Domina non libera? aut ciues Romani serui? quibus extera delubra & Deos coluisse, capite piandum nefas fuit. Adeonè desipimus, vt inter seruitutis ac libertatis sensum discors sapiamus nihil? Jactant Balthici suas libertates, at Gedanum non esse impium non licet? Nos nisi probi simus & improbi, liberi non simus? Jmò Serui eratis Lechi veteres, qui vnius Aræ, vnius nominis & Numinis fuistis. Est quod vobis in acceptis iusté non referamus seruos genuistis liberos, habetis liberos. Vos vnius religionis seruitute adstricti olim:

vera Nos religio manu misit, quam dimisimus. Quanta religio libertatis, dũ licentia impietatis tanta! Ruat in deterius semper Lechia sinamus, quoad in occasum desinamus. Liceat impios esse, quos pios tantum esse non licet. Præclara sanè Pannones libertas occupauit! ex licentia religionis (Superi boni!) ad turpissimam barbarorum seruitutem reciderunt, suæ demum impietatis libertatem posituri, cùm ad Turcarum superstitionem miseré fuerint proiecti. At Politiæ sancita conuello, polycipitem improbans religionem? O caput nec politum nec politicum? Adeone Balthico non sufficiant polypi, nisi & polycephali sint? Quis tam funestus Aquilo à mari Heneto in caput Vistulæ tot capitones impulit? Vtinam aberrauisset, ac diu impendentes machinas in monstrosam vrbis ceruicem illideret. Turpe est Quiritem politiam in polylatriam vertere. Vnus Rex, vna Respubl: vna sit & Religio.

Sapite

Sapite Poloni vicino malo, proximus ardet Vcalegon. Fumat Pannonia barbaro igni ſemiuſta. Nempe ad cæcos prauæ Religionis errores hæ nubes deerant. Prô quantæ in Boemia ruinæ ſcilicet hoc ſperabatur, cum ſe in ſexcentas Religiones ſcinderet. Nec Nos impunè abituri. Quantus & quàm immanis Orientis Achilles neglectum religionis ulturus, ad caſtigandam Regni ceruicem gladium extulit! Nolite Lechi turpi inertia, aut obliuione religionis, honeſtæ laudis METAS abolere. non ſatis priſcæ ſcripſerunt ceræ: ſuggerite, hiſtoriam, dictate, faſtos, calamos & ingenia, ſcriptorum, præclarè factis erudite. Sed vt in TE aliquando pridem anhela expiret Oratio mea; ita deniq; vaticinantem de TVA Celſitate accipe Rempublicam JLLVSTRISSIME PRINCEPS.

QVOD

QVOD olim Gnesnæ Præsules præclarum fecerunt, vile facies Maioribus ausis. Animum in aduersa obstinatum, trepidum in prospera feres. Altior ceruix vltra Fatorũ secures, quẽlibet ictum spernet. Ex Te pendebit Patria: stabis medio Regni altissimus. Qua nutare Rempublicam, quà se collidere, qua declinare senseris, vndequaq; opem laturus, validum columen oppones. Jta demum celeres suffecturus humeros, vt obstes labenti, prolapsam erigas nunquã. Extremi consilij est lapsa instaurare. Nouum Solem Te arbitrere, qui sine occasu Patriam lustres. Perpetuum tenebis meridiem Ad vesperam, nisi vita horizontẽ excessurus declinabis. Rerum euenta im metieris, tanquam ancipiti loco posita, vtroq; à latere valentissimus. Sæpè se Ciuiles æstus conuellent, medium Te ingeres, ne vtrinq; cadant. Aliorum ruinas Tuo tergo excipies, pressus non succumbes. Crebræ Rempublicam quassabunt procellæ, illam humeris, illam ceruice laturus

vertice

vertice omnibus eminebis. Casibus humanis sublimior nullum tam ingens reputabis infortunium; quod infra consiliū non sit. Magno Consiliorum commeatu Nervum Regni confirmabis ac pleraq; cæco gurgite mersa prudenti mentis natatu extrahes. Deniq; scies Honorem Te cepisse, quem vt pleriq; optimi tulerunt, ita fortasse plures tenuerunt mali. At Tu qua parte ab Historicis reponendus eris, maturè prospecturus factis decernes. De rebus Tuis ita dici permittes, vt posteritas animum maiora audendi concipiat, ita dicenda geres, vt nunquam excedat. Atq; quamdiu luce & purpura frueris, Tuo Te Sereno temperabis.

A. M. D. G.

TRIVM-

# TRIVMPHVS
## QVEM
# D. CASIMIRO
## PRINCIPI

*Serenissimus ac Inuictissimus*

# VLADISLAVS
## IV.

*POLONIÆ ET SVECIÆ REX*

Magnificâ ac piâ

in Augustum Paternæ liberalitatis Mausoleum deductione

*Anno M. DC. XXXVI. Augusti 14.*

*Vilnæ exhibuit*

# PANEGYRICO

repræsentatus

*Et Serenissimis Poloniæ ac Sueciæ Principibus*

IOANNI CASIMIRO & CAROLO FERDINANDO F. F.

A. P. IOANNE RYWOCKI Societ: IESU, Theologo, & Eloquentiæ Professore

*Ipso eiusdem D. natali die exhibitus.*

# DEDICATIO

GEmina Vobis orbis decora fero PRINCIPES SERENISSIMI Divum CASIMIRVM & REGEM FRATREM. Amabitis in illo sanctitatem, & patrocinium; in isto pietatē: in vtroq; Vestrum sanguinem. Quibus aliis in suum Mausoleum euntis, deducentisquè offerrem TRIVMPHVM, nisi vobis? quos & communio magni sanguinis, & conspicantis expressio virtutis vnum in MANIPVLVM latè adorandum collegit. Vtinam CASIMIRIANÆ theatrum volubile pompa oculis libare, & sequi datum fuisset, exultantis profectò POLONIÆ ac LITVANIÆ viscera de proximo palpauissetis; illa viscera; quæ sublimis CASIMIRI spiritus cælo deuolutus ab alto animabat. vidissetis confertam omnium ordinum aciem, cælum non tam vocare votis, quám aggredi & rapere manibus. Impleuissetis geminâ vestra luce, vtpote iam plenâ trium Fratrum Sororisq; CORONA,

RONA, CAPVT magni Ducatus VILNAM; ſed & reſtagnantis in Vos effuſæ ſacræq; voluptatis impetum ſenſumq; recepiſſetis. Nunc vero, quod publicæ negârunt curæ oculis, inſeritur manibus, includitur pectoribus, indequè in immensũ Æternitatis cœlum, Vobis veluti duobus Cardinibus Polisq; concurrentibus, extenditur & conſecratur. Accipietis credo alacres, REX enim eſt, & quidem REGVM qui Vos adit, REX animorum, qui Vos quærit CASIMIRVS. Jllius namquè refloreſcẽti Gloriæ, duo maximi POLONIARVM REGES, PATER fundamentum deponens, FILIVS culmen perficiens, ſupplici auro curaq; ſeruierunt. At qui REGES? nempe illi, quorũ ſub pedibus purpurei victoriis regnisq; Tyranni, pulueruľẽti gemuerũt. Aperietis quocirca cõmuni Sanguini, in animos veſtros auctiore cum Gloria ſeſe inuehenti, hoſpitales fores. Sane Pater cum Fratre gemina veluti brachia, ejus molem cum ſacris oſſibus ſuſtentent, vbi maximus ſui mundiq; Victor glorioſé conquieſcat. Vos ab his omnibus, virtutum lineamenta ducatis, vt feliciter Æternitati pingâtis. PANE-

# PANEGYRICVS

CRedo ego nullius desiderij tantas fuisse angustias, vt vnicâ lætissimi illius diei præsentiâ expleri potuerit, quo Polona ac Lituana Maiestas in sacrum D. CASIMIRI Triumphum cōspirauit: illa enim ipsa augusta Pompæ magnitudo, dum attonitos diu prætereheretur oculos, per partesq; iret, ita distrahebat cogitationem, vt neque in primo apparatu hærere, illecta sequentis pulchritudine; neq; in sequenti, primis spectandi illecebris reuocata, posset consistere. ita fiebat, vt dispersus in singula, nullibi integer esset animus, multaq; amitteret gaudio & admiratione. Quám enim capax illud pectus fuisset, quod de aspectu instabili totam amplecteretur lætitiam, aut ex ingenti operum exhibitione vniuersam oculis colligeret hilaritatem. Quis potiùs ex varietate dubitationem, animiq;

nimiiq; ſibi minimè fidentis diſcordi-
am non concepit, ſeq; ipſum non roga-
uit, num quæ ſciret de ſpectaculi glori-
a, ab obtutu vigiliaq; haberet? ingens
enim morandi in ſingulis cupiditas
propè auribus inſomniisq; tranſcripſe-
rat; quidquid intuitus decuit. Quod
auaris euenire ſolet, vt ſecuritatem re-
poſitarũ opum ſæpius viſu attrectent,
oculorum fidem frequenti manu ex-
plorent, iteratoq; recurſu etiam in ſinu
abſentiam timeant: Id familiare illis
erat, quos immodica lætitia occupauit.
Dum reficere ſatis fælicitate non poſ-
ſent auidam intuendi voluntatem, ce-
leriq; receſſu caſtigatam dolerent ex-
ſpectationem, in ambiguo ſe velut poſt
ſomnium deprehendebant. Quia e-
nim curioſam diligentiam diuturnior
exultationis mora nõ impleuit, & mu-
tua ſpectantium facundia diſſerendo
non æquauit ſciendi deſiderium, oble
ctationi voluptas defuiſſe putabatur:
Non erat certè res modici temporis, in
longiſ-

longiſſima fori area ſupplicem Reg
totius virtutem ſuſpicere, Romanis
æquare aut præferre triumphis ob
quij impenſi decus. Quis dies finiu
ſet VLADISLAI Regis admira
onem, qui in illa pompæ gloria, qua
DIVO Cognato pié præſtitit, omn
bus ſuis victorijs conſpicuus inceſſi
videbatur? Quis annus ſuffeciſſet I
CASIMIRI Principis laudibus æſt
mandis, aut recolendis? Nemo igitu
dum denſâ effuſi populi obſidione pre
meretur, ſtipatoſue proſequentium
globos eluctaretur humeris aut labo
rante in tectis veſtigio penderet, ab in
ſigni tot argumentorum ſtupore laſſu
receſſit. Hæſit adhuc in pectore abe
untium primus vigor, ipſâ præclari o
ficij tractatione factus cumulatior, ca
pitqúe ad eruditum reſpectare ſtylum
qui Regiæ deuotionis laborem per an
mos oratione circumduceret, & pu
cherrimum imagine æmularetur Tr
umphum. Quotusquiſq; non inuoc
uit publi-

uit publicam vocem, quæ ad ſingula laudũ theatra conſiſteret, duraturâq; dictione D. CASIMIRVM ita exhiberet, vt vniuerſæ gloriæ vndiq; collectæ Maieſtas animis contemplantium pateret? Equidem iuſtiſſimam æſtimaui fuiſſe poſtulationem. ſed cùm neque accuratam vires meæ pollicerentur diuinarum Virtutum effigiem, neque tot Nobiliſſimorum hominum votis à me fieri poſſe ſatis viderem, propè in commune optantium numerum conceſſi, niſi voluntatem alienam in modũ legis communis religio oſtendiſſet. Aderat interea & altior vis, quæ in hoc cogitationum æſtu ancipitem timentis audentiſq; temeritatem promiſſione virium correxit. Tunc ſtatim primam deterioris ſucceſſus formidinẽ diuino hoc impetu regere cæpi, & honorem verborum ad tantum ſacrificium à pietate ſperare. Tunc ſe ſe agmine ingenti commendabant præclariſſimæ rerum ſpecies, remotæq; ætates recenti

imagine obludebant & exigere videbantur, vt ne ea quidem negligerem, quæ Maiorum Virtus posteris laborasset

Admisi itaque opportuna festinatione ad D. CASIMIRI laudationem Prosperum Cæsarinũ COLVMNAM, qui per altissimos Romanarum dignitatum titulos, sanguinem ad se deriuatum nostrarum partium securitate seruauit. Quanta ex eo in D. CASIMIRI originem deriuari possent, si veterum amor eadem libris credidisset, quæ animis inscribebat? At enim, dum ætas illa styli peritè tractandi rudis memoriæ sideret, sensim insidijs obliuionis patuit. Vt omnia ex prudentia & imitatione Maiorum agerent, res præclare gestas memorabant: annorum interea seriem, & quidquid plena petit historiæ notitia, intentus in bella animus deposuit. Credebant sæculorum cursu perire non posse, quidquid Columnis Virtus incidisset. Habeant ergo gratiam errori

errori temporum Attyla, Nero, Julius Cæsar, quorum Tyrannidem gloria Prosperi Cæsarini reddidit fælicem. Dum enim ambigimus, cuius insolentia tanto Principi industriam vitæ in ... ato ponendæ suaserit, nostro bono iniuriam probamus. Vitari certè debuit furor Attylæ, qui se terrifico nomine Flagellum dici voluit, nè infami manu ingenuum corpus violaret. Neronis quoque pestilenti conspectu abire ad libertatem pertinebat, quòd tunc in illo Orbis monstro fortuna Regem cum Regulo confudisset, vt neminem sine veneni periculo aspiceret, quem ad salutem Patriæ putaret viuere. Plures tamen in Pompeij cladem referunt discessum. Jlli Imperatori ductor militum erat contra publicũ hostẽ, penèq; Romanum obiuerat imperium bello & victorijs: sed cùm aliquando extrema calamitas afflixisset successum, Patriam, pro qua diu multumq; dimicârat, iam non suam, nec eandem deseruit. Non

uit. Non putauit liberalis esse ingen imitari Ciceronem, qui eloquentiam ante pedes Victoris exarmauit: aut Brutum, Cassiumue, quorum genero sus animus ad libertatem repetendam sub adulatione diu seruiuit. Turpe enim erat aperto pectori mendacium amicitiæ alere ad irascendi opportunitatem. Cur & illum sequeretur, qui Philosophico vitæ contemptu, ausus in se facinus hostile, magis Porcius fuisse apparuit, dum in cruore suo volutaretur, quám Cato, dum ferro sponte incumberet? Ab hac pauida audacia reuocauit mentem imperterritam prudens cogitatio, Cæsarinum stare non posse, qui tam abiectè Cæsarianus iacere vellet. Duas igitur res dignissimas perfecit, cùm & sanguinem ad posterorum gloriam in superstite corpore conseruauit, & alibi liberam sibi erexit Patriam. Nauigantem Dubissa fluuius camporum amænitate inuitauit ad iura hospitij, & postea retinuit. In

ciderat in gentem comem ac mansuetam, quæ virtutem adorare sciebat, & nomen Italiæ. quod Romana dissidia propè expulerant, poterat suscipere. Eandem suæ potentiæ sedem diu retinuerunt posteri, & velut circa matrem hærebant, donec Vitenes in Lituaniam protulit Imperium. Ab eo per Gediminum Olgerdumq; Heroës Ducesq; fortissimos ad Jagellonem gloria peruenit: qui ipse quidem in Regnum Polonum primus assurrexit; stirpem deinde suam inter Coronas Sarmaticas, Vngaricas, Bohemicas circumtulit, & summorum Imperatorum Regumq; solia affinitate colligauit. Quòd si ea fælicitas Prospero Columnæ contigisset, quam Æneæ Sibylla exhibuit, vt longam Nepotum seriem præuideret; quanta gaudia pectus illud omnis spei plenum inundauissent? quanta seges lætitiæ se obtulisset cogitationem in venientia sæcula proijcienti. Occurrissent nouem ex Nepotibus nati Re-

ges, plures ex Neptibus, durante adhuc ſalutari ad hæreditatem ſuffragiaq; Regnorum fæcunditate. Vidiſſet Ducum purpuras, faſces omnium dignitatum, ſacros honores, fortunam deniq; in ſua domo conſediſſe fuiſſet admiratus, vt potiſſima Reip: Chriſtianæ ſtémata ſanguinis ſui commercio coniungeret, Orbemq; terrarum fælicitate impleret. Erexiſſent faciem puluere ſordidam prouinciæ fortunatis ſubiugatæ prælijs, lætis victoriæ clamoribus aſſonuiſſent, longis graues ſpolijs Triumphi aſſurrexiſſent. Quàm attonito vultu ſtetiſſet ad Caſimiri Regis Poloniæ, & Eliſabethæ Auſtriacæ fælix connubium, coaleſcentem in vnum fœdus geminorum decorum amplitudinem, implexam Cæſarum ſtirpi Jagielloniam gloriam, natali D. CASIMIRI diei fæcundam ſanctitatem!

Sed cætera fida rerum cuſtos poſteritas mirabitur, & ex grata conſcientiæ fide recitabit: mihi iam, quoniam delibe-

deliberato per lõginqua errore in portum incidi, augustus D. CASIMIRI splendor oculos præstringit, omnemq; circúm allucentem ab vltima repetita Familiæ origine claritatem ostendit, vt ex tantis nominibus ipsum magnopere, tanta tamen terrarum pignora magis ex ipso æstimem. Fuisset enim hæc magni generis iactura maximis altior damnis, nisi hunc pulcherrimæ laudis gradum ex publica sanctitate ad suum fastigium haberet. Longis Principum successionibus metimur nobilitatem, per stabiles rerum gestarum excursus, peruenimus ad nominis opinionem, incrementa ducimus ex semel inceptorum successuum constantia: at virtutum maturitatem ex cælesti honore colligere licet: quem quisquis domi suæ habet, altissimo famæ impetu terras euasit. Quid enim eâ commendatione sublimius cogitari potest, quæ infra magnitudinem suam habet id omne, quod in Regnorum laudibus su-

premum est? Progrediatur sané admiratio in solia ac coronas, nondum ad sacram veræ nobilitatis arcem accessit. Laboret eloquentia in gestorum ingentium celebritate: altitudinis apice non transcendit. Pendeant ingenia erudito studio ad numerosam imperiorum possessionem: non plus fulgoris colligent, quam terrarum lux patietur adeò scilicet Imperatricis huius Familiæ magnitudo omnem celsitudinem pro limine habet, vt nisi cælum conscendatur, ad humanarum laudum metas omnis iaceat laudatio. Egregi igitur gloriam illustri serie ad se der uatam pensauit auxitq; D. CASIMI RVS, quando Virtutum suarum con ditione, in Jagellonia domo Orbem terrarum in genibus posuit ad venerat onem. Non illa proinde opus habet rigines suas Deorum sanguini inuo uere, & à fabulis (quod antiquitas feci Diuinas rapere cognationes: plùs publicæ consecrationis plausu dom
sticam

ſticam cælis miſiſſe ad decus ornatumque dignitatem. Meritò itaque in Faſtis Jagellonicæ fælicitatis dies ille clariùs copioſiusq́; lucet, qui tam præclari ſideris exortu omnem vetuſtæ ſtirpis ordinem illuſtrauit, cæleſtibusq́; miſcuit ſplendoribus. Certè oraculi inſtar publica fides accepit, eum, qui in naſcentis tempus incidit, lætitiæ conſenſum & beatam ex paternis ſucceſſibus feſtiuitatem: quaſi iam tunc vniuerſa rerum Natura communi prouinciarum hilaritate arrideret, ſuumq́; bonum interpretari videretur. Cùm enim ad ortum illius ingenti ſtrage debellati Pruſſi ceciderunt, & arx Papouia viribus Polonis ceſſit, quid aliud Fortuna voluit, quám vt lætis victorijs natum ſalutaret, venientiq́i frontes etiam hoſtium ac muros inclinaret? Quid & legatio Georgij Podebradij Bohemorum Regis aliud effecit, cùm Regni Bohemici inſignia Patri offerret, efflagitaretq́; amicitiam; niſi vt pro-

sperrimam lucem vnanimi Regnorum in plausum conspiratione consecraret? Quod si Infanti supremum illum rerum moderatorem DEVM indulsisse dixero, vt hæc secum afferret auspicia, erigeretq́; statim Patri trophæa, nemo me iure damnauerit. Nam quemadmodum inusitatum non est, naturam florētibus placidisq́; euentibus origini alludere: ita venturæ laudis imaginem à quopiam importari in terras, nouum censeri non debet. Jactent sané nobiles Thebæ primam alumni sui Herculis industriam, cùm infantili manu ferociam serpentum in cunis præfocauit. D. CASIMIRI nascentis fælicitas victoriam Reip: laborauit. Loquatur Seleucum anchora, quam innato artificio insculptam coxæ habuit. nos Bohemicam coronam sceptrumq; in ortu D. CASIMIRI conspeximus. Non inuidemus Zoroastri risum, quem natus vsitatis humano generi lacrymis substituit. plùs est Poloniam, pulcherrimis

rimis inuitatam operibus, in hanc lucem prodeunti D. CASIMIRO, hilari vultu augustaque fronte accurisse, quòd nouâ fœcunditate superbior, cæteris prouincijs primo sinu Principem natum præripuisset. Pulchrum enim vero accepit hospitium Cracouiam, Vrbium Matrem, Arcem literarum, Regum sedem, vt sciremus iam tum loci suffragium in auspicijs fuisse. Qui tantus erat futurus, debuit statim in eminentissima Regni sede conspici, inter diademata apparere, eruditis Musarum manibus tractari. Tali ille tantoq; apparatu exceptus est, vt ad perennitatis cursum statim in ipso ingressu optimè instructus est: sed erectus ad maiora animus, quamprimum habile ad humanas rationes sequendas nactus est corpus, suo cæpit gloriam calculo cōputare, & censu Naturæ Fortunæq; diues in curam potioris boni incubuit. Quid me igitur necesse est illis commemorandis insistere? cur in Stirpe, Parenti-

rentibus, Patriaq; alienis ad laudem præsidijs, diutiùs hæream, & oblatum vltro summæ prosperitatis verticem contumaci itinere premam, cùm amæniora alia plura se offerant cacumina, quibus attolli pulchriùs liceat? Magnum quidem est æquabilem sæculorum in honoribus currentium terorem excipere, sed maius non degeneri conatu moras annorum prægredi. Jllustre virtutes in ceris ferre: illustrius vitam omni honestà actionum Societate ita pertexere, vt sub nobilibus figuris natalitia claritas, velut tela, lateat, emineatq; decentiùs: Eximium est in ipso Regiæ magnitudinis domicilio nasci beatum, & fortunatæ lenocinia sortis hæreditate capere: plus est delicatis his obsequijs, quibus pleriq; vitia audaciùs colligunt, ad egregia opera venire. Præstat itaq; in integro rem hanc ponere & quantus aureo Regalis prosapiæ pelago, quod tot infestas Sirenes continet, occultat scopulos, variatur procellis,

cellis, ventorum tumultu agitatur, ad virtutem venerit, contemplari.

Et si quidem rem hanc Orbis totius suffragio definire placeret, communis omniũ esset opinio, plurimum in ijs valere, summam fælicitatem ad sanctitatis profectum, quos opes fastu non inflant, potentia amplitudine non labefactat, honor maiestate non corrumpit, deliciæ non emolliunt blandimentis. Producit enim hasce omnis Regiæ stirpis Aula illecebras, quæ altiores obtutus à Numinis, virtutisq́; cõspectu auertere facilè possunt, vt proinde affine quiddam habere cum Babylonico cælo videatur. Locus is erat subtili ex sapphiris constructus fabrica, & ex cælesti colore, Diuinaq́; præsentia nomen tantum inuenerat: Spectabant enim ex fornicata testudine, velut ex æthere aurea Deorum simulacra, tantâ operæ fabrilis industriâ efformata, vt materia arcanas tremendæ potestatis notas exprimeret. Metallum

contu-

contumax cesserat artificio vt Regem in medio considentem ad virtutum cultum religionemq́; inuitaret. Nam quoties oculos in sublime attollebat, effigies omnis venerationem metumq́; instillabat. Quippe spirantia labore Numina finxerat, vt Jupiter auri fulgore ardens fulmen iacularetur, collinearet spectatam Appollo sagittam, Neptunus tempestates concitaret, Minerua terribile ferali capite scutum obijceret, tam viuaci omni argumento, vt ex aspectu formido propè manum trāsmitteret ad quærendum telum in pectore; vertigo cōtra turbinem fulcrum quæreret; rigor per corpus diffusus ab obiecto Gorgonis portento lapidescere timeret. Cæteri Dij suis quisq́; affectibus insignibusq́; cernebantur, illi ad Maiestatis opinionem formosi, hi ad lætitiæ sensum hilares, alij in clementiæ testimonium erecti. plerisq́; vultu furore armatus, frons seueritate rugosa, oculi ad scrutandum pertinaces
manus

manus in ictum compositæ, os in minas conformatum. Varietas singulorum tanta tamq; efficax, vt animus, omnibus admissis permonitionibus, affectus in se confunderet; tristitiâ hilaresceret, gaudio mæreret, metueret spe, timore erigeretur. Omnis hæc rerum diuersitas, dum in varia distraheret, colligebat animum ad reuerentiam & curam pietatis; sed quominus se mens huic spectaculo totam daret, quatuor torquillæ aureæ pendebant: quarum auium vis permagna est in veneficijs, philtrisq; seruire creditur. Prudens enim vero opificium, & ad ostẽsionem periculorum, quibus institutio Principum facilè à studio virtutum abripĩ potest, excogitatum. Circumuolant enim identidem Opulentia & Potestas animum, perspicacemq; illius pupillam, Mentem, delicatis integunt alis, nè obtutu ad cælestia euadere possit. Laborant Dignitas & Voluptas admirabili varioq; circuitu, cogitationes à

Numi-

Numinis cōtemplatione auocare. Tāta est vis in singulis, vt blanditijs incantare, ac veluti quodam fascino insitam bonitatem possint intercipere. Quisquis has amœnas Virtutis moras alacri obstinatione superaret, & ad curam animiq; auxilium deflecteret, an non is ex communi gētium comitio magnus sanctusq; inter homines iret? Si eodem ordine cuncta persequar, iam profectò constabit publicam D. CASIMIRO meritò contigisse gloriam sanctitatis.

Nam primùm non deerat illi ditissimus Poloniæ, Patrisq; Regis Pactolus, ex quo aureos riuos in splendorē suæ dignitatis, aut licentiæ ostentationem deriuare potuisset. Scimus quantum excellens conditio exigat, aut iuuenilis ætas sibi arroget. Illa magnificis impendijs conquirit authoritatem, pretioso thesaurorum damno famam lucratur, liberali erogatione potentiam conseruat, deniq; in admirati-

one ac

one ac obſequijs tantò retinet magis, quantò altiùs in fundum arcæ, manus veniunt: hæc ipſam quoque neceſſitatem ſæpe in ambitionem exitiumq; virtutis expendit. Ea de cauſa magis miramur Regiam Diui CASIMIRI indolem in tam præcipiti annorum flexu, & præpotenti fortuna, nec nobiliſſimo ſuo ſtatui dediſſe cæterorum Principum conſuetudinem, nec lubricâ ætatis parte in inſidias feruidioris Naturæ cecidiſſe. Non enim ille inſano luxu corpus operiebat, non lapideis flammis accendebat tunicam, non tenero figurarum textu, ludentiſue artis commento emolliebat ſericum. Satis potuit naſci Principis honor ex generoſo contemptu, nec indigebat ſolenni colore Maieſtas, quam demiſſio à cæteris diſcernebat. Latere in vulgo non ...tuit, quòd eum ornamentorum ne...lectus eò pulchriùs comeret, quò plu...a deerant. Cur enim in nimio mem...brorum cultu laboraret is, qui ſciebat omnem

omnem vestium apparatum pretiosam esse necessitatem? Cur sinceritatem naturæ luxu contaminaret, dissimilemq; animo effigiem circumferret? Hac autem prudenti viuendi destinatione prouidit modestiæ suæ securitatem, quam sæpe ex ornatu amænitate ore arrogantia inuadit, & malé intra grauitatem tuetur. Conformat se facilè mens amictui, & ex colore affectū rapit, vt sub purpura minores erubescat, in argento ad obscurioris sortis aspectum palleat, ex auro sæuitiam terroremq; loquatur. Neque verò hæc à me dicuntur in eos, quibus fortuna illecebras naturæ concessit, ad honoris reuerentiam. Quidam enim ad illustrem vestium splendorem publico officio dignitateq; eunt, eos nemo meritò arguat. Plerosq; fastus ad immodicos sumptus ducit, quod quis probet? Vtrumq; D. CASIMIRVS eo spectauit temperamento, vt magnitudinem excelsi nominis sub moderatione retineret

neret, & obtentu honoris ad licentiam non progrederetur. Nihil érat in eo nimium: multa infra Regium modum. Nemo tamen quidquam desiderare poterat, quòd raro exemplo ex priuato Principem indueret, & Maiestate, velut cælo relictâ, inter oculos ciuium ipsâ demissione amabilior versaretur. Fiebat proinde, vt quoties se in conspectum daret, nulli per apparatum superbiæ, insolentiæue tumultum eluctandum esset ad oris notitiam. Temperatus habitus transmittebat oculos facilè ad Virtutum choragium, sine quo nunquam processit. Et erat vtique, quod sub modico cultu spectari poterat, pia grauitas, verecunda lætitia, comitas plena pudoris, pluresq; præclari animi dotes suis signis in vultum corporisq; motus expositæ. Laborauerit ille sanè industriâ, moderatione ornatum mentis interiorem tegere, occultaq; pietatis artificia fronte suæ fortunæ obscurare; tantum tamen in his

latebris firmitatis non erat, quin ip
compreſſione Virtus altiùs emicaret.
Quis neſciuit ſub modeſtia purpur
(ſæpe enim ex dignitate habitum ſ
mere fuit neceſſe) aſperitatem hirſu
nodoſæq; telæ, & textum villorum a
ctè corpori inſediſſe? Laudabilis pro
fectò ſcena, & piæ ſimulationis rece
ſus. Potuit in theatro nobili princip
lis authoritas diſſimili imagine conſp
ci, in perſonæ amplitudine oſtentare
ſpeciem amor vilitatis, ſplendor a
ſcondere membrorum moleſtiam.
Talem veſtium diſcordiam hoc ille ſ
dere coniũxerat, vt quaſi præ veſtibul
cilicij ageret excubias Regalis indu
menti moderatio, doloriq; ſeruiret.
Neque enim dubium fuit, potius illu
fuiſſe, quod cordi adiacebat: hoc ali
num dici poterat, quod quaſi eiectu
& exul foris eſſet. Jllud præterea
Principis ſugebat ſanguinem ac ſud
rem, gemina tincturæ optimæ præti
quibus nulla maria conchylis reſpo
dent.

dent. Quidni ergo laudem cõſilium, quod diuitias in luxum, ſtudiumq; affectatæ pulchritudinis non prodegerit, ſatis de ſe opulentus? Quidquid corpori aliunde aduenit, ſpolium eſt, & alienæ formæ præda, ſuo fulgere magnificum eſt. Et graue quidem eſt hoc genus impenſarum, ad viriumq; debilitatem ac languorem ſæpe peruenit: ſed nobilior euadit purpura, quò maiore tolerantiâ clariſſimus ſuccus exprimitur. Alij liquores tantum habent æſtimationis, quantum raritas, aut humanæ artis ratio permittit; hic ex Domini cruciatu decus accipit, quē neceſſe eſt eſſe maximum, quoties à molli educatione ſuſcipitur. DIVO proinde CASIMIRO nihil accidere poterat, quod non magnopere profuiſſet ad patientiam. Siue enim viliora elegit in vſum, duritie lædebant teneritudinem; ſiue delicatiora, mollitie vulnerabant animum in aſpera propendentem. Æſtimet hinc quiſq; pij

Principis ingenium, qui oblectationes voluit esse suppliciorum instrumenta; nec alias ex ijs conquisiuit delicias, quàm dolorum. Miretur & pietatem quâ omnem opum affluentiam propè cum absentiâ composuit, quando se se ad experientiam egestatis damnauit. Quem enim non tangit pedum nuditas, quâ statis temporibus ædes sacras adibat? Quo ille tulisset animo venientem à casu, aut origine inopiam, qui extremam sortem sibi in palatio fecit. Quâ mente erat erga diuitias, quarum vsum à contubernio dignitatis relegauit, piâ ausus dignari inuidiâ in calamitosis paupertatem? Nihil illum commouebat inferiorum exquisita in ornando solicitudo, nihil quæsitus elegantiæ tumor. Cùm alij flaui incessus serenitate auram accederent, intra serici auro fluentis vincula vibrarent gressus, argenteis clauis substrata marmora excitarent in plausum: ille vacuo simpliciq; pede ad aras

ıam inibat. Cùm ita iniurijs amore-
que inopiæ inter opes d teſceret, ad-
ſit præterea in triclinium famem &
tim, &, quia interdum neceſſe erat
ſanitati couſulere, mediocritatem.
Rari profecto hi ſunt facultatum am-
plarum hoſpites in palatijs ſed mirabi-
ores, quoties inueniuntur, quam in
aſis. Multùm enim intereſt, num
ponte quis, an neceſſitate toleret? Plu-
rimis licet eſſe famelicis, cùm interim
cupiditate ſint ſaturi: at inter irritamē-
ta gulæ, animo adimere ciborum li-
centiam, quantarum eſt virium? Ar-
cana fabularum veritas, cùm Tantali
pœnas loquitur, autumnum pomis in-
ſtructum circum os ſuſpendit. tam at-
tentis ad fugam frondibus, vt præter
vmbram cedentium fructuum nihil
manibus aſſequatur, aut dentibus alli-
get: addit & fontes labijs alludentes,
ita mirâ viciſſitudine quietos rapidosq́;
vt morentur ſub mento ad ſallendum,
ſterili mox vado deficiant, quamprimū
in hau-

in hauſtum palmas compreſſerit, Ill
tamen perpetuâ deluſus laboris ſui ſt
rilitate, in prædam ſemper eſt intentu
& irritas manus in ſpem continuam
xercet. Tanta ſcilicet vis eſt præſen
æ, vt famem exſtimulet, & ne ipſâ qu
dem deſperatione totam extinguer
poſſit expectationem. Magnum igit
erat in D. Principe voluntatis ſuppl
cium, dum, copioſo inuitante ad pal
ti obſequium lenocinio, ſibi ipſe ind
xit continentiam. Nihil ille in omn
ferculorum varietate ſibi diſſimile ad
miſit: nihil ex diuite delicatoq; epul
præter victoriam ſui delibauit. Quot
es extendiſſet manum, eo id faciebat
animo, vt cupiditati negaret, & ſe tor
queret non admiſſæ voluptatis vſu.

Non minor dimicatio facienda
fuit cum opibus, quæ prodigalitate p
tebant effundi. At ille, cùm noſſet
immodicis impenſis ſæpe non dignit
tem defendi, ſed vitia nutriri, vireſq
corporis ad conſuetudinem licenti

creſcere, reperit homines penuriâ preſſos, quibus diues lautusq; eſſet. Hos copioſâ recipere manu, veſte inſtruere, prouidis leuare ſubſidijs, adeòq; ſuis præponere ſolebat commodis, vt laborare videretur quà ratione ipſe in Regia omnium rerum vbertate miſer eſſet, illis Principem ſe exhiberet. Præſens erat implorantibus, nec aliter ſe negare poterat votis afflictorum, quàm perennes fontium venæ ijs, qui humili inclinatione vndas hauriunt, quaſi priùs peterent: in hoc verò etiam ſuperior, quòd ſæpe in ſinum depreſſorum, vnâ liberalitatis ſcaturigine, infuderit duraturum in omnem ætatem beneficium, vnicoq; hauſtu vitæ totius ſitim reſtinxerit. Audiuimus quidem fontes quoſdam auro fluere. at obicem accedentibus auaritia oppoſuit. alios miris ſcatere aquis: ſed ad ſtrepitum pedum velut exterritas fugere. pleroſq; medicis bullire fluctibus: verùm pretio aditum emi, nec omnibus exſugendis

morbis sufficere. Hic verò, quàm præsenti manauit ope! Neminem palatij reuerentia, pertinaces custodum excubiæ, armatum Satellitium submouebat. Habere ab eo licebat aurum contra egestatem, in patrocinium vocem, manum in lapsu. Fiebat proinde vt egenorum examina obsiderent euntem, viduæ non aliter, quâm Ægyptus suum amnem inuocarent, pullata reorum turba circumstaret. Pulcherrimus enimvero comitatus & suâ indigentiâ purpuris omnibus formosior, aut potiùs ad expugnandum cælum collectus exercitus, cui misericordia Imperatorem præficit, vt det stipendium, quasi egestate militaret, vinceretq;.

Hæc iustæ laudationis occasio facit, vt quoniam de diuitiarum vsu multa attuli, Potentiæ saltem dispensationem parciùs in tanta dicendi copia prædicem. Nemini enim dubium est plurimum eum potuisse, qui Patris leges per ætatis prærogatiuam exire noluit,

luit, vt vires in integro iuris paterni nomine cõseruaret. Subiectio, dũ filium quasi in corpore adhuc retinet, virium communionem non diuidit. Cæteris licet manus Regum meritis aut impetratione inuadere. Filij legibus & sanguine satis sunt instructi, vt ad obtinendum, quidquid æquitas docet, consilium ab illis veniat, quasi á Patris ratione, preces quasi à Natura. Leue certè esset, & hominum consuetudini dissonum, vtriusq; facultatem velut calculos, numero discernere. Communis enim illis opinio plùs pené tribuit, quàm Natura. Hæc, quos subiectione iurisq; rigore coniunxit, dissociauit corporibus: illa etiam corpora authoritate copulauit, & animæ vnius colligauit arbitrio. Licuit nonnemini varijs inspectis Reip. muneribus, Regem formare instruerèq; ex subditis: Præfectos in oculorum vicem transferre, aures appellare Iudices, Senatui cordis motũ credere, militibus manuum, pe-

dũ agricolis dare officiũ, soli Filic
cessum est Animum Spiritumq; P
dici, quòd Patrem ex facili moueat, l
sibusq: & membris Reip. coniunctâ fa-
cultate vtatur. Valebat igitur D. CA-
SIMIRVS paternâ plurimùm potesta-
te, quam ille in sanctæ custodiam fidei,
& nouæ ruinam religionis deriuauit.
Tum enim demum se fortem pollen-
temq; viribus existimauit futurum, si
constanti lege incorruptam veritatem
exitio dissidentis sectæ tueretur. Ama-
mus igitur vocem Filij in Priuilegio
Patris: miramur pietatis ingenium in
sublimi patrocinio: suspicimus fortitu-
dinẽ quâ totius Græci schismatis manus
ita arctè ligauit cõstrinxitq; vt eas neq;
in nouorum structuram templorũ eri-
gere, neq; in veterum restaurationem
commmouere posset. Quid hoc edi-
cto præclarius, quo ad fallacium in fi-
de opinionum perniciem, ius dedit an-
nis, elementa vicesq; temporum arma-
uit? quo omnem discordis pietatis so-
lertiam

lertiam in otium languoremq́; composuit, in obliuionem deinde abituram delubrorum occasu? Ita enim citiùs animorum dissidia, suorum cineribus templorum sepelirentur, iacerentq́; quibus fulciendis liberalitas non occurreret, promouendis locum non inueniret conspiratio, industria iuuandis adesse non posset. An non hac præterea a voce Naturam humanorum seruitute vitiorum emancipauit, nè aduersus DEVM faceret cõtumaciæ præsidium? Tunc vniuersus rerum ordo sibi redditus videbatur, cùm arbores in fulcra vetitarum ædium non crescerent, in compagem sectarum saxa non coalescerent, terra ad firmitatem tutelamq́; ignorantiæ non solidaretur, nihil denique esset, quod spe aut vi ad pertinaciam erigendam valeret. Hæc fuit rerum à DEO productarum restituta fælicitas, quòd punire possent, iuuare non cogerentnr: quòd contra fulmineos ignes nihil auderet, vllus humor, nihil ad-

hil aduerſus pluuioſa nubium ſupp
cia tectorum circuitus, nihil contra
infortunia ingenium. Ipſe quoque an
mus velut in carcerem compactus, ſu
isq́. tacitis ſenſibus inclusus in otioſo
corpore hærebat, quòd ei in publicum
exire membrorum miniſterio non lice-
ret. Victa erat hac lege errandi licen-
tia, poteratq́; deceptæ pietatis damno
venire ad primordia veritatis. Quia e-
nim antea in herba ſemen malitiæ ſer-
pentis oppreſſum non eſt, quid reſta-
bat, niſi vt vitioſæ ſegetis maturitas
ſenſim tabeſceret vetuſtate, & fatalem
meſſem extremâ clade faceret? Hoc
ſpecimen & exemplar erat in D. CA-
SIMIRO veræ in religionem propen-
ſionis, lentis remedijs vires infeſtas af-
fligere, & quaſi contagionem rubi-
ginemq́; immittere, vt morâ ad ruinã
celeriùs perduceret. Fuit id & exem-
plirari, ita actionum curſum diſpone-
re, vt etiam poſt fata continuaretur, &
abſens legiſlator viuentis præſentia le-
gis in

gis in abolendis fidei impedimentis laboraret. Detrahit operi constantiam, quisquis vltra vitam, suum alienis manibus robur non relinquit. Atqui posteros ad perpetuam virtutis agitationem instruxit, egregiè prouidit posthumam quiescenti suo labori propagationem. Ita ergo ille voluit ex hac statione decedere, vt tamen vox cohortatioq; ad religionis curam stabilibus repetita incrementis superesset, & ingenuis pectoribus allisa, ex approbatione resultuq; se intenderet. Sciuerat eam demum vitam optimè in terris relinqui, quæ non aliter á negotijs amoueretur, quàm manus ab horologio. Vt enim illâ absente mobiles spiras indefessa machinarum vertigo ponderibus rotat, & malleolum indicemq; in motum animat, vt temporum momenta voce silentioq: loquatur: ita edicta continuatis mortem pensant negotijs, postquam subditorum animos semel ad perennem religionis progressum.

abduxerunt. Tales etiam, dum more cæterorū hominum sub terram eunt, inoffenso potestatis cursu viuunt, & legem in solio ad compensationem præsentiæ habent.

Eò cum perueni, præuertendum esse existimaui ad honorem Regium, quem conueniens potentiæ vsus sibi iure vendicat. Tantus enim iam erat D. CASIMIRVS vt sub Patris tutela dignus imperio esset. Animos etiam omnium in desiderium excitauerat, vt licet pios optimi Regis mores felicitatemq; suo abesse regimine nollent, votis tamen in filium excurrerent, & æstimatione coronarent. Atque ita sub superstite fortuna & desiderio Patris iudicium habuit supremæ dignitatis, & intra optatam paternæ præsentiæ gloriam Rex erat animorum. Eadem opinio vicinos populos occupauit. Nemo fuit, qui ex diuini animi notis, & minimè otiosæ indolis specimine dignam summo apice vitam non præciperet.

peret. Vngaria tamen cæteros præiuit ſuffragio, & campum tantis virtutibus præſternere auſa, occaſionem vacui Solij in gloriam D. CASIMIRI rapuit. Ampliſſima eo nomine miſſa legatio oſtendit communem Senatus vocem, Equeſtris ordinis vota, ſupplices populorum manus, quibus à Patre Filium, Principem à Rep. à CASIMIRO imperij curam petebant. Et verò allicere poterat eximia Regni pietas, religionis amor, militaris rigor diſciplinæ, & præparatus quidam ipſi ſuſcipiendo omnium virtutum concentus. Poterat expugnare præclarum imperandi inuitamentum, opulentia terræ, in quam impenſiùs excolendam meliori pollice incubuit rerum molitor DEVS, vt ſedem voluptatum in ea diuitiarumq; collocaret. Nihil huic vnquam affinxit fabuloſa vetuſtas, nè incredibili argumento rerum Naturæ luxuriantis opus malè commendaret. Non hic Tagum aureis manantem arenulis,

renulis,aut collucentibus procelloſi vnionibus Gangen poſuit, vt ſolidu, tutioremq́; auri prouentum in terr.. indicaret: non pretioſo vellere radiantem arietem Thebarum, aut ouis aureis fæcundam Æſopi alitem, nè per vanos interpretum ſenſus malè aurum attõderetur exciperetur q́;. Alibi mendacijs inuolutæ laudabantur facultates; hic veritas ſemper diuitijs præfuit. Aſſurrexit proinde aurifero Vngariæ Jmperio Europa vniuerſa, & ſeipſam contemplata variarum opum vbertate diuitem, poſtquam ſuas ſingulis prouincijs tribuit fælicitatis prærogatiuas, Vngariam, Pomum aureum, appellauit: ſed quod iam inter plures proiectum á Fortuna, luſu bellico diſpares manus diſcerpſerunt. Neque ſic tamen ſuam amiſit amænitatem, cùm diuiſit gloriam. Vbiq́; rubet adhuc, augente natiuam purpuram alieno in æſtimationem fuſo ſanguine, & prima vulnera vnguesq́; impreſſos potentiâ

partium

partium protegente. Vt illud totum acciperet, Vngarorum lege pulcherrimus aptissimusq; D. CASIMIRVS est iudicatus. At ille manum ambitioni subtraxit, quòd sub onere pretioso pietatem suam vilescere posse existimaret. Attentus in salutis suæ curam animus, quoniam omnem seruitij nobilioris quærebat opportunitatem, & acutâ acie moras imitationis diuinæ perspiciebat, nasci ad Regna satis esse ratus, cælesti spei suam consecrauit dignitatem. Vt quid in oblatam rerum omnium affluentiam concederet, qui paupertatem iam inter ingentes Regiæ domus opes adamauerat? cur sub diadema iret, qui pridem rerum contemptu honorauerat cogitationes? aut sceptro tenendo dextram porrigeret, quam proijciendo auro exercuit? An enim ad diuini conscientiam arcani non pertinebat se Regnis non induere, qui Mundum exuerat? Fuêre potentissimi Principes, qui dum suæ animæ

gubernacula tractare vellent, fessa imperando ætatem, velut in portu colligere, ad priuatæ vitæ angustias confugerunt: ille ante tempestates cursu abstinuit, quòd laudabilius esse iudicaret honores fugere ex destinatione, quàm experientiâ difficultatum connitente, Regio se officio eijcere. Quanquam & illa mens paucis contigit. Quidam enim, dum in longos annos spem vitæ proijcerent, in honore publici laboris sunt deprehensi: alios potentia non dimisit: plerosq; amor salutis communis, periculis illigatos retinuit: nonnulli constantiam diuerso virtutis flexu corrumpere non sunt ausi. Jlle venturas in flore moras præcidit, né, si ætates singulas diuersis gradibus ad maturitatem duceret, ægrè sederet in proposito. Et vidit ille quidem D. Stephanum sub corona Vngarica magnum sanctitatis culmen attigisse, sibi tamen metuebat, nè si abundaret fortunâ, virtutis accessione indige-

ligeret. Jdcirco maluit nè dignatie quidem ſolari petentis Vngariæ ſtudia, quâm prima ſui progreſſus in bono veſtigia diſſimili paſſu confundere, aut proſequi. Jta abire Nuncij coacti, ſoliciti magis, quod tantam virtutem in ſolium, quam quòd ſuæ gentis regimen non impetraſſent; ille ſecurior non admiſſo principatu factus, gaudebat vnà abiectione damnatam omnem beatam fælicium vim, & ſuffeciſſe ſibi ad victoriam, noluiſſe. Alijs videbatur ampliſſimum quìdpiam adeptus, quòd æſtimationem digni imperio animi, Legati ſecum non ſine mærore exportaſſent: ipſe ſibi fæliciſſimus viſus, quód excelſam ſtationem in materiam negligendi accepiſſet. Tum enim ſe didicit, non á voluntate ſola teſtimonium habere magni ab omni ſublimitate horroris, quando non admiſit, quod ingenti commendatione in animum influebat. Orbis quoque terrarum, quamuis ſciret eum meruiſſe

in alto

in alto proponi, nesciuisse, quâ propensione in adipiscenda esset, nisi adepta detrectaret. Meliùs iam liquet magnifica mens aspernantis, cùm confugientem sinu excussit honorem, ruentiq; in humeros Imperio Atlas esse noluit. Nempe suscipiendis terris locum non inueniebat, qui augustum cælorũ pondus plenis manibus ferendum admiserat.

Et ego quidem dum hæc cogitatione amplector, meritó tantæ virtuti adstupesco; neque paterer me inde transferri, nisi alia se offerrent, quæ multiplicem æstimati operis vbertatem magnitudine nouâ conuincerent. Sit enim sané, vt quidem maximè est eximium & singulare, Regij animi decus, quemuis dignitatis fulgorem otioso præterire oculo: maius tamen semper existimatum est, sic omnem ætatem quâdam seueritate temperare, vt nullis delicijs deprauata, pudori integra sinceraq; seruetur. Quemadmodum cau-

ti admo-

modum & prudentis est viri, euactas inimicitias, quæ vultu amimicitiæ pugnant: ita quisquis naturæ adulantis insidijs, gratoq; indulgentiæ veneno non patuit, eum ego humanà altiorem cōditione esse existimo. Quò magis D. CASIMIRI par est suspicere victoriam, qui per blandimenta vitiorum, libidinumq; faces illæso pede incessit, nullis vnquam laudatis malis, quæ illecebris in perniciem armantur. Si quid accidit inopinatum, quod faciem recti induisset, ex ipsa scena agnoscebat dolum, & robusto metu inuadebat hostem, vt fugâ vinceret. Neq; enim securum esse putabat lubricam ætatem delicato committere commercio, & cum iucundis periculis coram agere. Vt nihil aliud efficiant, moram lenti certaminis ad vincendum instigant, successumq; sperant, quamdiu præsentiam victoris adhuc stare invictum vident. Quanquam amæna hæc vis voluptatis, quantumuis diuturnitati fide-

tati fideret, actũ hic egiſſet. An enim eũ molli fregiſſet habitu, quem cæleſtia ſolatia ad obſiſtendum durauerunt, & cui ad victoriam ſatis fuit, ſemel rigidum vultum oppoſuiſſe? Vt interim taceam, diuini eum animi ductu, aſpero ſemper calle ad decus iuiſſe, nê, ſi ancipiti dubioq; itinere pergeret, obuiam pro. ratione haberet libidinem. Quis eum aliquando conſpexit leuibus puluillis, aut ſanitatem excepiſſe, aut molliuiſſe delicias? niſi fortè cùm premere vellet alienos oculos in vitæ communis opinionem; & luce quidem celaret vſitatam viuendi aſperitatem, tenebris autem duceretur ad corpus in ardua reuocandum. Tam illuſtri tamen exercitio caligo omnis depulſa, nihil poterat aduerſus curioſam multorum pietatem, quominus admiratione Principem obſeruarent. Habet hoc omnis virtus, vt communi oberrare vultu, turbæ ſe immiſcere, vulgari habitu ſpeciem ſuam componere non poſſit,

poſſit quin plerię; immigrēt in receſſus & ſuis illam tenebris æſtimēt. Citiùs tamen intentus animus alienam in Principibus agnoſcit perſonam, & in famæ honore ac theatro ponit actus, quos pio conſcientiæ ſecreto texerunt. Vt vmbræ magnitudo prodit molem corporis: ita virtutis maieſtatem quæſita lucis abſentia. Fuerunt igitur, qui aſſeuerare non dubitarent, D. CASIMIRVM, cùm iam altum noctis ſilentium teſtes oculos ſubmouiſſe videretur, in nudam ſeceſſiſe humum, nè minùs tractata conſuetudo tranſilire aliquando atque effugere honeſtatem poſſet. Tunc è cæcis ad templa pergere veſtigijs, ſeq; ad ſacras fores proijcere acceperat in morem, & magnæ loco fælicitatis ducere ſi contingeret, aut excuſſum deuotis euntium pedibus puluerem oſculo excipere. Quale verò erat & illud ſpectaculum, cùm teneram obſequentemq; carnem flagri violentiâ compelleret ad voluptatum negligen-

gligentiam? crebris ictibus vulnera aperiret dolorum ingressui? molliores corporis partes liuore obduceret? Ad tam heroici operis præsentiam latebris euoluendam, dies, credo, ipse properasset, si sensum habuisset pietatis; tenebræ interim sanguine excusso erubescebant, quòd aliquamdiu conderent, quod Orbis terrarum postea erat conspecturus. Licebit mihi proinde noctes illas, abolito vetusto nomine, in auroræ appellationem vocare, quód defusi cruoris luce purpurascerent, quasi clarissimum sæculorum diem præirent prædicerentq́;, qui tantis factis debebatur, & successit. Licebit & D. CASIMIRI stupere prudentiam, qui vt securitate perpetuà castitatis frueretur, spontaneis eam ita circumscripsit supplicijs, vt nullis delicijs pateret aditus ad religionem bonæ mentis peruertendam. Ea de causa corpus obibat pœnis, emuniebatq́; vulneribus, nè suæ tanto thesauro excubiæ deessent. *Spi*nis de-

efendendam esse rosam hanc du-
t, vt pulchriùs inter stimulos vi-
, puncturis in spem durationis ex-
citaretur, horrore ipso aduersorum esset beatior.

Eò porrò æstimatio postea processit, vt morte vitam pudicitiæ conseruandam putaret. Inciderat fortè morbus vehementior, cuius extremum discrimen cùm nullum sistere posset medicinæ ingenium, Venus communi consilio sanatura credebatur. Hanc igitur Iuueni purissimo suadere ausi, vt, si necessitate ad scelus ire nollet, honestate thalami vitam tueretur: geminato commodo pudorem in fæcunditatem prolis & sanitatis expenderet, nec crederet florem hunc male periturum, quem Resp: in fructu, Pater in solatij maturitate, ætas in duratione esset habitura. Iniquum esset, illi, à quo in leuamentum senectutis accepisset vitam ad luctum spontaneam orbitatem disponere, & cogere ad lacrymas spem

gaudiorum. Jn computationem
tenſæ venit fugiſſe, cùm manere li
at, è viuis, telo in pectus paternum
tro deiecto. Nam quòd relinqui à
exiſtimaret in virtutis amore mo
excuſationem, nil hoc aliud eſt, qu
nolle videri ingratum, & fieri: toll
cauſam dolendi, & facere. Cogita
potiùs, pulchrius eſſe certos hone
tis tuendæ modos admittere alieno
bitrio in vſum, quàm ſuo eligere in p
niciem. Abunde penſari poſſe cæle
conſilij mutationem iuſtà conſerua
one legis. non cariturum culpâ prop
ſitum, quo virtutem iniuſſam ad in
riam ſui, Patris, Reip. aleret. Seq
retur porrò ſui nominis Regem Po
niæ, qui publicæ ſaluti votum laudà
liter conſecrauit, eò quòd vidiſſet Pr
cipum virtutes eſſe priuatas non de
re. DEVS bone! quantus contra
uoces ſurrexit! quantâ obſtinatione
cohortationem precesq; repulit! ce
ceſſant, inquit, tam ſuaues amici, q
ægritu-

em vocant ad voluptates, & nitatem ducunt parricidio itatis. Quæ foret hæc viuendi cō- ditio, nobiliſſimum animi decus pro morbo corporis ponere? quanta da- mni moles, mortis momentum redi- mere manſuro exitio? quàm graue, ad vitæ vſum remedio veniſſe, quod conſcientiam electionis optimæ non haberet? Malé verò, hoc meo facto Patrem ducitis in mærorem, cuius læ- titiam nulla vnquam pietas periculo defenſa fregit. Qui me hilari vultu proſpiceret in acie fortiter pro patria mortuum, ſine luctu non ſpectabit pro virtute occumbentem? Habere certè iſtem de me non poterit memoriam: quoties ſuam in meo deceſſu cogitabit inſtitutionem. Hoc ille docuit, hoc ego didici, magno vitæ rerumq́; con- temptu ire ad curam cæli, pergere in excellentem perennis dignitatis gradū per aduerſa, liberalius puriùsq́, in DEVM, communem omnium origi- nem,

nem, refluere. Regni quoque honore
obijcitis? Quæ hæc est vecordia, in
spem coronæ regalis diadema mihi tol
lere æternum, quod DEVS integritati
decreuit? Vtinam ad Maiores vestros
quibus arcana cæli necdum innotue
rant, oculos referretis, eueniret mihi
fortassis vestro consilio, nè infra Ven
dam essem, cuius pudicitiam Polona
fortitudo suis periculis funeribusq́; ser
uare voluit. O vocem verè Regiam
humanisq́; viribus maiorem! O lau
dabilem seruandæ puritatis contuma
ciam! Quid hac esse potuit mente
fortius, quæ egregio impetu ad vniuer
sæ rei dimicationem venit, & vno ictu
delicias, earumq́: laudatrices, Natu
ram, Necessitatem, Vitam superauit.
Habeant itaq́; suas sibi laudes, quicunq́
exsciderunt vultus emendatissimi for
mam, mutilarunt oculis euulsis nari
busq́; præsectis pulchritudinem, sexum
simulatione texerunt, vt pudorem in
tuto ponerent: D. CASIMIRVS p

tenti

enti campo adeptus est victoriam, um præ voluptatis horrore, è viuis in- eger abire maluit.

At eum nos tamen excessisse non rbitramur, quem imitatio in animis xpressit, veneratio in templis reliquit, patrocinij præsentia retinuit in Regno, gloria vbiq; posuit. Quanta ornamen- ta contemptus vitæ impensus Castita- ti protulit! Cumulatè DEUS immor- alis pensauit palatia templis, solium aris, Regnum supplicibus Jmperijs v- niuersis. Omnia enim hæc contigerũt, postquam miraculo vitæ operumque attonitus LEO X. diuinâ authoritate dignum proclamauit, cuius Sanctitati Orbis terrarum assurgeret: cui ab o- mnibus fas esset vota reddi: a quo pe- ricula immunitatem, anceps belli alea successum, tota deterioris fortunæ tempestas serenum precaretur. Ere- xerunt se subitò ad hoc edictũ omnes, & priuatam iam pridem pectoribus in- clusam pietatem palàm protulerunt.

Cùm

Cùm plurima multi agerent, SI-
GISMVNDI III. Regis deuotio libe-
ralitatem omnium ac veneratione̅ to-
to apice excessit. Quâ enim ille im-
pensas fundebat copiâ, vt argenteus es-
set locus, qui augustæ respo̅deret sancti-
tati, & nobilissimarum familiarum
Iagelloniæ atque Austriacæ decus cæli
insertum, magnificè in terris contin-
ret? Quàm diuturnos artificum la-
bores, cursusq; annorum in festinatio-
nem sacræ ædis vocauit? quorum ta-
men assiduitas, non tam in magnitu-
dine moram consumpsit, quam in ra-
ra maiestate loci, & inusitato materi
prætio prolixam artis industriam con-
tinuit. Quot maria nauigatione fati-
gata, vt exquisita manuum doctrina i
rudi impolitoq; marmore, naturæ in-
genium iam inueniret? Cui enim alte-
ri remotorum littorum lapis, peregri-
ni laboris sudor alienæ fælicitatis rari-
tas deberetur, nisi illi, qui ea prodij
stirpe, quæ terras longe, latèq; diffu-
ample-

amplectitur potestate? Hic esse decuit, non quasi reluctanti rerum ordini erectum; sed ex intimo sinu transmissũ, quidquid vehementi solis appulsu vstũ est ad decorem, æterno frigore in speciem concreuit, fortuito elementorũ concursu solidam rapuit formã. Hic par est pretiosam Regnorum fæcunditatem in communi osequiorum cumulo apparere, vbi in probatissimo virtutum exẽplari fulget maxima terrarum dignitas. Stat proinde iam opus immortale, ista æstimatione materiæ & argumenti illustre, vt quid alteri possit præferri, nesciatur, nisi quod vtrũque ad piam Authoris libertatem suspiciendam animos spectatorum auocet. Hæc enim in omni illo decore pulcherrima est, & sumptuosum structuræ valorem excedit præstantiâ. Hãc omnis ille in picturam cæsim compositus lapis monstrat, animata in Diuorum figuras marmora loqvuntur. ædes ipsa aspici indignatur, si quispiam ali-

os in admirationem sensus afferat. E[t] sanè, quid pulchrius hoc sacro dom[i]cilio cogitètur, quod ita elegantia vbiq[ue] perpoliuit, & obtinuit pietas, vt prop[e] totum aram dicerem, nisi am[]plior maiestas, dum se superat, atqu[e] magnitudine conuincit, discrimen fa[]ceret? Jgnoscet mihi Romanæ elo[]quentiæ copia, si cum verborum peri[]culo in re tanta loquor, & ita in ma[]gnis explicandis repo toto significatio[]nis fastigio, vt ad maiorum explanati[]onem infimum sit, quidquid vniuers[a] facundia habet primarium. Neque e[]nim facile est vnam dicendi facultat[em] inter egregia præstantissimorum R[e]gum duorum, SIGISMVNDI & VLADISLAI facta ita partiri, vt vtri[]usq; se exæquet magnificentiæ aut pie[]tati. Dum moror in vno, dum ad alte[]rum propero, illum morâ non expri[]mo, hunc festinatione non assequor. Adeò amplitudo facti variauit audac[i]am tentantis omnia animi, vt cogar [] diutur-

diuturnitate, arguere, properatio-
nem, & celeritatem, & tarditatem
excusare. Quis enim differat, vt Pa-
ter inceperit? vt perfecerit Filius? quã
æquabili tenore largitas ac beneficen-
tia venerit ad consummationem? Cum
paris manus molitionem intueor, pro-
pè opus in plures Authores discerpere
non auderem, nisi palàm constaret,
VLADISLAI Regis esse perfectionem
Jlli hanc gloriæ partem DEVS serua-
uit, vt & splendidum absolueret ædifi-
cium, & suâ Diuiq; CASIMIRI præ-
sentiâ impleret.

Et quoniam magnarum laudum
emensus Oceanum, ostia quoque ac ve-
luti ingressum ad alios labores euasi,
video mihi rursus immensum aliud æ-
quor nauigandum. Jntueor Trium-
phum, quo D. CASIMIRVS in ere-
ctum suo honori Capitolium peruenit:
quem quemadmodum fragili veham
nauiculâ, aut quomodo leui guberna-
culo in portum regam, non intelligo.

Jn tanta conſilij inopia ad vſitatam confugere fortaſſis proderit temeritatem, & metum Numine propitio eorum, quibus mea vela credidi, leuare. Expediam cæcâ hac ratione exitum ſi non integrè, (præcipua enim tantum attingere eſt animus) certé auſpicatò quamprimum in alienam fortunam, quam aperto mari veho, reſpexero. Vtinam tantum mihi ingenij aſpiret hæc fælicitas, quantum omnibus, quos deuotio Vilnam exciuit, alacritatis eſt elargita! Poſtquam enim priore loco motus eſt D. CASIMIRVS, vt in perpetuam dignamq́; cæleſti Principe ſedem honoratus deinde pergeret: quanta vndiq́; confluxit hominum multitudo, vt aut paululum morantem in primario templo obſeruaret, aut deduceret procedentem! Crederes eodem ſacrarum manuum nixu excitatos, motosq́; domibus eſſe ciuitatis frequentiſſimæ homines, vt dedignati commoda ſuorum parietum ſpatia, latiſſimas publici

blici itineris areas tumultu veneratio-
nis angustarent. Et fuerint sanè viæ
obstructæ: celerem tamen faciebant
profectionem, cùm se veluti fluctus a-
micâ iniuriâ ad officium promouerēt.
Paucis tamen contigit in eodem, post-
quam accesserunt, vestigio hærere. Præ-
teriuisse satis erat ad solatium difficilis
viæ. Restabat enim spes diutiùs spe-
ctandi, si paribus angustijs, sed poten-
tiori spectaculo cæleste bonum vrbem
inuiseret. Ea res plurimis persuasit, vt
priuatis impendijs lætitiam commu-
nem iuuarent. Nemo igitur parcere
sumptibus, aut ingenio, nemo à Maio-
ribus transmissa ornamenta clauibus
coërcere. Omen erat præsagiumque
mansuræ fælicitatis, toto diuitiarum
apparatu prodire, & inclyto opum ob-
sequio securam facere fortunam.

Dies sequens ostendit omnium
cogitationes. Diuus enim Princeps
pretioso inclusus loculo, dum succol-
lante nobilissimo Clero inter hilares

plausus, triumphalesq; Academiæ v
ces, per longos platearum tractus d
ceretur, nihil desiderare potuit, quo
pietas non cõtulisset ad venerationem,
liberalitas ad maiestatem. Jta vndiqu
deuotus splendor Arcus erectos ædesq;
insederat, vt noua Vrbis facies diem si
bi ipsa ornatu inusitato augeret. Aulæ
textili auro illustrata pro foribus, vel
acu picta inter florum argutias pendu-
la, omnis peregrinæ opulentiæ, inq; su-
is succis attonitarum opum industria,
si quando ambitioni aut luxui prælu-
sit, hominum pensabat honore tali er-
rorem, suamq; iniuriam expiabat. Di-
ceres diuersarum ornamenta terrarum
vnà conuenisse, vt artis pretijq; certa-
mine cumularent oblectationem, &
multiplici cultu prætereuntem Diui-
num Juuenem venerarentur. Sed quid
ego hæc ædium propè gestiẽtium gau-
dia commemoro?

Erat alia longè pulchrior ad pom-
pam materies non impressas Deorum
fabu-

fabulas mentiens, aut profana veterum Heroum exhibens simulachra, sed ipsius D. CASIMIRI rebus gestis spectabilis. Quis eum & vultu gratum, & habitu modestum, & fortunâ illustrem ab operoso penicilli labore non accepit, vt pro amæno domus vestibulo exponeret? cuius palatium non occupauit effigies, quæ purpurâ Principem, lilijs virginem, Diuum radijs non fateretur. Jam ipsa quoq; miracula plurimis viuebant in imaginibus, tam accomodatâ similitudine veritatis, vt ars affectibus obtemperaret, doctaq; colorum positio tabulas pijs quibusdam sensibus animaret. Videre erat ipsius patrocinio puellam â morte ad vitam remeare, non sine amabili quodam horrore, quòd ita in duarum rerum disparium confinio idem vultus staret, vt diuersis signis exanimis adhuc iam viuere inciperet, & iacentis cadaueris notæ in surgentis corpore summâ concinnitate conuenirent

 Aderat

Aderat & memorabilis ille cæleſtis fauor expreſſus, cùm contra Moſchorum perfidiam vado ſecuro præiuit exercitum Iuuenis cādidiſſimus, qui albo inuectus equo, alibi inſanos elementi vortices tuto tramite vitauit, componente ſe flumine ad tranſeundi fiduciam: alibi ſenſim conſpectui ereptus, ſciebatur fuiſſe, picturæ dexteritate, præſentiam in abſentia retinente. Et illud ad decorem pertinebat, cùm in eoſdem hoſtes confertiſſimos paruam Lithuaniæ manum duceret, & in aere, velut de tribunali regeret: idoneo humanæ ſolertiæ inuento, quaſi vbiq; numine ſuo adeſſet, & hos quidem iuſtâ irâ in vindictam prædarum accenderet, illos ab aduerſis gladijs tegeret, nullos ſineret patere vulneribus, omnibus famoſam cæde fugaq; victoriam largiretur. Quid ſingula in tanta copia perſequar? dicamne, quemadmodum eximia artis pietas in arcanis rerum euentibus, curationum modis, audita-

auditarum precum luſerit argumentis? dicam de penicillo exiuiſſe in genua ſupplices ad petendum, ad rependendum donis beneficium hilares? oculum creuiſſe cæco, merſum è fundo redijſſe in cymbam, ignem in incendio ad vrendum ſubitò frixiſſe? dicam ſuis ipſum in omne genus hominum meritis ſibi ad ornatum abundaſſe? Erat enim vita ipſius clariſſimis virtutibus locuples, & mirandis poſtea operibus cælitus illuminata: omniumq́; ita ſuffecit votis, vt negotium in ea fuerit eligendi, non quidpiam deſiderandi difficultas. Nec decuit aliter D. PRINCIPEM ornari, niſi vt ex ipſomet, velut ex ditiſſimo theatro triumphi acciperetur celebritas. Jnanium eſt aliunde emendicatis frui honoribus: pleni de ſe porrigunt ſolẽnem cõſpectum.

Jnde erat etiam, vt, cùm multus vbiq; & varius fieret plauſus, nullæ voces gratiùs acciperentur, quàm quas ipſe Auguſtæ Virgini concinnauit in

 hono-

honorem, Quidquamne dulcius est carmine, quod an plus ex candidissimo pectore acceperit suauitatis, quàm pietatis, in dubio est? Gui pulchriùs aures accommodari queant, quàm vbi verborum gratia per interualla pari sibi occurrit gradu, quasi vocali imagine in exitu repercussa concineret? vbi breui interstitio cadendi æqualitatem suspendit, vt mora in similem modum iucundiùs conueniat? vbi erudita eloquentia alternis claudicat versibus, & varius pedum incessus, passu alibi diminuto, exæquato alibi iucundiorem facit precandi voluptatem? Dum quælibet sententia, velut torno excusso, limaior veniret ad vocum concordiam, sæpiusq; in orbem recurreret pijs sensibus delibuta oratio, animus auscultatione colliquescebat. Quæ ego omnia cursim prætereo. Neque enim fas mihi esse video his immorari, quando alia se offerunt magnorum Virorum decora, qui triumphāti D. CASIMIRO

suam

ſuam præbuêre, in obſequium dignitatem.

Erit præ oculis æternitati MARIVS PHILONARDVS, Auenionenſis Archiepiſcopus, qui VRBANI VIII. effultam humeris Vicariam DEI in terris poteſtatem eâ parte, quâ Sarmaticis incumbit Regionibus ſuſtinet eximiè, Nempe non ſatîs exiſtimabat magnificentiam fauſtiſſimæ diei à ſe illuſtratam, niſi Diuo Indigeti in plauſum ceſſiſſet, quidquid eximijs ſuis factis liberalitas ſummorum trium Pontificum in præmium contulit, & explicaſſet in pompa id omne, quod Romæ in auguſto Chriſtiani Imperij theatro maximum eluceſcit. Narrabit quoque omnis ætas ABRAHAMVM WOYNAM Vilnenſem Antiſtitem, cuius in illo numeroſo Senatus, ordinisq; Sacri quà Latini, quà Græci ritus fœderati agmine pulcherrimus emicuit ſplendor, & tam pium deuoti laboris exemplum, vt ad ſanctos animorum impe-

 tus cien-

tus ciendos, vis ab eo atque permoti veniret. Demus ſanè multum priuat ſingulorum facilitati: conſtat potentem cohortandi humanitatem plurimùm frequentiæ profuiſſe. Senſit Lithuaniæ ac Ruſſiæ reuerẽtia plenam ſeduli Præſulis vocem, tantoq; cumulo ad authoritatem conſurrexit inuitantis, vt, ſi cætera multitudo abfuiſſet, lectiſſimus Sacerdotum populus feciſſet venerationis denſitatem. Et hæc erat cæleſtis imitatio induſtriæ, Diuino inſtinctu lætiſſimas terras inſtruere, & tot pectoribus eſſe pium, quot conſultiore prudentiâ ad noua vota incitauit, aut vberiore affectu ad ſecuram deſideriorum impulit proſecutionem. Ecquis verò cæteros enumeret, quorũ ſacer illuſtriſq; comitatus fecit communis lætitiæ acceſſionem? quis conſpicuos eximijs curis Senatores, feſtũ Magiſtratus Aulici decus, ſplendidum liberæ nobilitatis progreſſum percenſeat? ſuà illi ſe eximent obliuioni virtute, &

tute, &

te, & meo silentio culti ipsam pro : audient æternitatis facundiam perorantem.

Tacere tamen eos non debeo, quorum gloria vbertatem dicendi ex ipsa munificentia accepit. Quis illam magnificè erectã Casimiri Sapiehæ Mag: Duc: Litu: Notarij molem, quá latissimum plateæ ductum exornauit, suo gaudio, illius pietate, cælis non coniunxit? quòs in triumphali ingressu, quem arte & pretio insignem, ingenio deuotionis nobiliorem fecit, non designauit cogitatione locum qui Authoris nomen æternùm ferret. Quòd si cæleste studium interpretationem patitur ex factis, &, quæ visa non sunt, fidem habere possunt ex causa, crediderim D. CASIMIRVM Clienti suo vicissim Arcum erexisse, qui longum annorum cursum ad festinatos honores & constantem famæ & felicitatis moram transmitteret: opibus insuper tam bene impensis fauisse, vt mansuris

in fasti-

in faſtigio acceſſibus conſiſterent, augerenturq́;. Quò me cæterorum quoq́; impendia adducerent, ſi ſingula diſſerere vellem. Quò Academia Vilnenſis? cuius ſolennes labores recurrens in orbem ſupplicatio amplexa eſt, vt primitias beati fauoris in ingreſſu conceſſas, reditu cumularet, & non nouam tantùm in cultu induſtriam, ſèd eruditos etiam ſudores gemino tranſitu ſolaretur? In quæ dicendi ſpatia peruenirem admiratione ſtudij quo Vilna potiſſimam fori ſui faciem tota inſedit, & ſuæ vbiq́; diffuſæ ſummam fecit alacritatis? noctis inter faces, lætitiamq́; immemoris tenebrarum? ignium in altum expreſſorum ſub cælo luſus?

Tui hæc ingenij fuit pietas, VLADISLAE Rex Inuictiſſime, qui Reip. animus, vniuerſas tanti corporis partes commouiſti. Meritò ..aq́; integra clariſſimi per omnes fuſi facinoris magnitudo ad Te Authorem redit. Omnia per ſingulos diſperſa religioſæ liberali-

tatis

s vel obſeruantiæ momenta, quoniam à Te profluxerunt, in gloriæ Tuæ amplitudine colligi neceſſe eſt. Atque ita Oceano æquaſti Tuæ copiam pietatis, vt & intra capacem religionis Tuæ curam omnis ſubditorum ſe voluat imitatio, & laude recurrat ad cumulum, quidquid exemplo prodijt. Non poſſumus auguſtè Tuam explicare virtutem, quæ per innumeros diffuſa, recepta deinde in Te, maius reperit ſpatium. Tuum, noſtrumq; eſt, quod egiſti: & eò quidem magis noſtrum, quia Tuum. Liceat tamen mihi liberè conqueri. Maiore vi vſus es in noſtros affectus ac mores, quàm noſtra neceſſitas, aut Tuarum virium ratio exigebat. Quis enim ad D. PRINCIPIS honorem Tuis votis non iuiſſet? quem non duxiſſes ad eadem, aut paria nutu? Vt quietus ſacris incluſus palatijs audires, ſpectaresq; cæleſtem omnium lætitiam, valetudo afflicta volebat; imbecillitatem in Te ad cultus proſecu-

profecutionē agnofcere noluifti. impeditū fortuito morbo pedū officiū proponebat: non admififti excufationem, egebat fanitatis cura latè conciliato domefticæ vmbræ filentio: Regium effe fanari publicis curis dixifti. Quis Te adeò Tuis aduerfum reddidit commoditatibus, vt vitam non tractes cō. modè vt Regiam: non folicitè vt publicam: non tranquillè vt indigentem: fed robuftè pièq; inter grauiffima quæque negotia circumferas? O egregiam nulliq; tacendam Tuam virtutem! Pulcherrimum inuenifti inuictæ Tuæ fortitudinis campum, vt quâ cōtra hoftes vfus es ftrenuè, falubriter pro Rep. contra Te fanctè vtereris. Meritò Te fubuectum frequens venerata eft multitudo hominum, & quoniam ex abfentia ægrefcebat dolore, deuoto morbi Tui obfequio ad gaudia conualuit. Tibi igitur communem feftiuitatem debemus reftitutam. Nam licèt integros nos feciffet fola Tuæ voluntatis

lex ad

lex ad ſolennem D. Tutelaris venerationem: Tuæ tamen ægritudinis vultu omnia egiſſemus, & conferentes ſimul diuerſa animi diſcordis indicia, hilaritatem expreſſiſſemus mærore. At Te conſpecto nubilæ mentes ſuam recepêre ſerenitatem, integrâ fronte occurrimus fauſtiſſimo diei: æquabili imperio plenum pectus cæpit regi. Quidni veró regeretur? quandoquidem vno in triumphali ſpectaculo geminorum Principum coniũcta Maieſtas deſiderium oculorum, rara cum lætitia populorum cumulatè expleuit. Et CASIMIRVS quidem victorias ſuâ ope partas indicabat: Tu ſubijciebas. Jlle quaſi triumphantem præibat: Tu ſequebaris. Plané ita cuncta ceciderunt, vt nulla Tuæ gloriæ pars latuerit in alieno plauſu. Videreris licèt illum alteri feciſſe; nos Té non ſeiunximus. proceſſeris ſanè ſupplex: hoc erat Triumphatoris indicium. Comitem Te feceris ſacræ actionis: Principem

Te, &

Te, & quidem geminatâ authoritate, agnouimus. Paterna enim pietas primâ operis huius excitatione nobilis in Te simul effulsit, atq; ita antiquis desiderijs suffecit, vt nemo abesse crederet iam redditum cælo Patrem, qui Te intuebatur. Accedit, quòd prouideris, né CONSTANTIAM Reginam magnifici sociam laboris in tanta spectaculi copia quisquam desideraret. Apparere enim voluisti in eodem spectabilium virtutum theatro Augustam Sororem Tuam ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM, quæ Matrem ad superos receptam constanti probitatis miraculo redderet. Et verò amplè satis illa tantum nomen sonuit, effecitq; vt in florescente indole verecunda honestatis matùritas cerneretur, & altius crescentis gloriæ gradus fastigium æmulo aspectu exhiberet. Digna profectò quæ ad Maternæ laudis imaginem tam clara origine, institutioneq; & tanti Fratris fælicitate venerit.

Quòd

Quód si ea huius operis est vis ac ...stas, vt Orbi terrarum sufficiat, quod igitur tandem maius iam dari potuit lætitiæ honorisq; ornamentum, quàm cùm tantis comitibus D. CASIMIRVS suam obiuit vrbē, populoq; inuisit? Constiterit sanè beatè in suo illo Mausoleo, cuius omnis ætas mirabitur pretium & splendorem: beatiùs tamen fuisse dicendus esset, nisi eadē præsentia pulcherrimum illud domicilium cohonestasset. Spectabit id ad perennem cultus securitatē, quod factū conspeximus, vt quiuis oculis hauriat venerationem, cuius inuitamentum stabili sedi liberalitas & præsentia impressit. Ne quis suorum malus custos laborum opes cupiditate obseret, malitq; collectas ad auaritiæ hæreditatē tueri, quàm ad Diuini Numinis gloriā explicare, occurret ei SIGISMVNDI III. munificentia. Nè se subducat sacris obsequijs præsumptio alicuius dignitatis, VLADISLAVS IV. potenti

ad pie-

ad pietatem corporis debilitate conuincet. Vt verò in eum locum perpetuo accursu omnis se recipiat necessitas, aurea lampas, splendidum CONSTANTIÆ Reginæ munus, Virginali Filiæ manu ante aram suspensum, allucebit. Et scimus nos quidem fore, vt ab admirandis euentibus iam pridẽ nata deuotio, suam deinceps prosecutura sit institutionem: á tantis tamen, tamq; heroicis factis ingens veniat necesse est precandi fiducia. Fælicẽ certe Poloniam tanto bono. Jnde enim licebit successus domi militiæq; alere, populorum accipere salutẽ, vires fortunamq; contra hostes educere, vbi tâti Principes suam exercuerũt pietatem, deposuerunt victorias, triumphos consecrarunt. Hic ego quoque, D. CASIMIRE, humilime hoc laboris mei obsequium appendo, vt veniam audaciæ, quâ tuas virtutes tractaui, deprecer, & quod stylo detriui, immortali Tuorum operũ compensem argumento.